autor
Kaliński Jan

ATOMI MINORES

In sydera eloquentiæ
ACCENSÆ,
Sive
Primò prima principia lucubrationis Oratoriæ
Ad usum Rhetoricæ Juventutis, operâ & Studio
P. JOANNIS DAMASCENI
à Matre DEI.
Scholarum Piarum Sacerdotis,
publicæ luci iteratis Typis
CONSECRATA.
LIBER PRIMUS.

VARSAVIÆ in Collegio Scholarum Piarum. Anno Dñi. 1731.



Explicat auratum dum Sol ſuper Orbe nitorem,
Vix parent atomi, ſidera nulla micant;
Aſtra MARIANO melius ſub SOLE relucent,
In claras atomus vertitur ipſa faces.

ATOMUS PRIMA.

Nihil in altum proſpero enititur ſucceſſu, quod ab imo non incipiat. Ab infima montis cujuſq́; radice, in eminentiorem eluctamur clivum, é clivo in conterminū nubibus collem, ut é colle, ultra nubes, cum ſummo faſtigij apice, evadamus. Quantum Ilij bellum ab ovo cæpit? unde & ego, é minimis quibuſq́; atomis, Phænomena eloquentiæ accendere præſumo, *non vi, ſed ſuperæ conditionis ope*. Ad ima igitur Rhetoricæ inſtitutionis mecum deſcende, quisquis in ſummam rarioris facundiæ augem provehi aſpiras. In brevi compendio, omnem præceptorum farraginem, quam aliàs tot Rhetorum tibi offerunt volumina, videbis. Sit itaq́; Atomi primæ

METHODUS PRIMA.

De primo fundamento eloquentiæ, ex consideratione substantivi.

NOn pudeat Rhetorem studere Substantivo, & Adjectivo, quæ præter Grammaticam concordiam, aliquid svavioris harmoniæ, imò inexhaustum amplificationis, argutiarum, sensuum, argumentorum præseferunt, & aperiunt fontem. In hac Methodo agemus de Substantivo, in aliis de Adjectivo & Verbo. Quoties igitur proponis tibi aliquid amplificandum, aut arguté dicendum, aut in propositionem, seu argumentum orationis majoris vel minoris sumendum, totis indagare viribus debes naturam rei per substantivum significatæ, quæ breviter sequentibus exprimitur.

Res, Substãtivũ quã denotat, opto, probetur,
Sitne creata? Potens vel quam subit ipsè Creator?
Spiritus? an corpus? quæ corporis inclyta floret
Materies? quæ forma rei? quæ causa laboret?
Ac in quem finem? corrumpi nescia: vel mox
Fecerit ac usum, quovis variabilis æstu?

Mix-

Mixtane? vel ſimplex? animata? vel inſcia vitæ?
Omnis an eſt ſensûs expers? vel prædita ſenſu?
Quæ ratio? vel nulla ſibi? ſpeciesnè? genusne?
Aut individuum? docili ſcrutabere ſenſu.

Hæc ita intelligi debent: Aſſumpto in amplificationẽ ſubſtantivo, quæretur:

1. Eſtne res creata, vel increata?
2. Si eſt creata, eſtnè ſpiritualis vel corporea?
3. Quæ eſt corporeæ rei materia? forma tam accidentalis quàm ſubſtantialis? quæ cauſa efficiens, tam principalis, quàm inſtrumentalis? quis finis?
4. Eſtne corruptibilis? ut ſublunaria, aut incorruptibilis? ut cœli, aſtra, ſphæræ, poli &c.
5. Si eſt res ſublunaris, eſtnè ſimplex? ut elementa; vel Mixta, ut omnia compoſita?
6. Si eſt mixta, eſtnè animata, aut inanimata.
7. Animata, eſtnè ſenſibilis? ut omnia animalia; aut inſenſibilis, ut plantæ?

8. Senſibilis, eſtnè rationalis,aut irrationalis?

9. Ad quod genus,vel ſpeciẽ pertinet? Eſtnè res ejusmodi in individuo

Notandum hîc,quod licet aliqua ex his punctis non conveniant directè ſubſtantivo,quod aſſumpſiſti in amplificationẽ, aut argutias, aut argumenta, nihilominùs flecti debet indirectè per ingenioſã intellectûs combinationem, vel ut contrarium, vel ut ſymphaticum,ſimile,diſſimile,copulando diverſiſſima, ſeparando unita,augendo, vel minuendo,aliud per aliud exprimendo, unum pro altero ponendo;negando,quod alicui propriè convenit, affirmando, quod diſconvenit. &c. Et hoc ſummâ ingenij perſpicaciâ fieri oportet.

Notandum 2do. quod non ſolùm his terminis inſiſtendum ſit, qui in aliquo puncto continentur, ſed occaſione illorum quidquid in longum, & latum, ex omnibus circumſtantijs inveniri poteſt, id ſubſtantivo,per omnia hæc puncta ducendo,applicari debet, ut in exẽplo præſenti patebit.

EXEMPLUM I.

ASſumatur pro amplificatione, ſubſtãtivum, *Euchariſtia*, & ſtatim quæratur, ex primo puncto, ſignificatnè hoc ſubſtantivum rem creatam, an increatam? reperietur utrumq; ſignificare. Hinc dices: *Homo Deus Euchariſtici panis cælum inhabitat, ut terræ pignore aſtra homini, terram Deo obſtringat.* Tunc quidquid creaturæ generaliter cõvenit, ingeniosè reducendum in amplificationis ſtadium. vg. Deus eſt increatus, diceres: *Obrigeſce natura! dum vides increata miſceri creatis, DEVM Homini, Hominem DEO, utrumq; velo Euchariſticæ Cereris tegi.* Ex circumſtantia creaturæ ſit nihilum, unde educitur creatura, unde diceres: *Nihilumnè creaturæ ita fertile, ut DEO in Euchariſtica Cerere fæcundetur?* & ſic conſequenter, ex parte Increati, aſſumeres ſubſtantivum, creatrix virtus; hoc ita applicares: *Illimitata creatrix Dei virtus, orbis Euchariſtici limitatur anguſtijs, cùm Principe Euchariſtico nihil dignius producere poſſit.* vel. Creator Deus, hinc: *Creatorem Deum extra mundum aliquando fuiſſe, mundi*

incunabula docent, nunquam extra mundum Eucharistici panis. Vel Sator Cœli & Terræ; hinc: *Terrarum Cœliq; Sator, ipse est & beata in farre Eucharistico sementis; & frumentum electorum.* vel Deus infinitus; hinc: *Infinita Dei Majestas specierum Eucharisticarum finibus clausa, ut infinitos sui efficiat cultores.* vel Deus æternus, hinc: *Æternitatis Symbolum orbis Eucharisticus, qui tot æternitati parit nomina.* vel Deus omnipotens, hinc: *Quantum in aulis Regum, panem posse existimas? si in aris, panis regiam Omnipotentia incolit.* vel Conditor orbis, hinc: *Conditor orbis Deus, in orbe Eucharistico se condit, ut amarores terræ condiat, amoribus cœli.* &c. &c. Ex parte creaturæ, in genere, creatura dicitur esse producta ex nihilo; nihil autem vocatur etiam cyfra; hinc: *Quantum valet sanctior hæc panis cyfra? quæ Deo constat. Quid sunt magna Principum culmina? si huic Eucharisticæ Nullitati non subjacent. Imò ex hoc Eucharisticæ sphæræ nihilo, cœli sidera nascuntur, cum in cives Empyrei pascuntur. Ex unitate Dei, ad quod pretium ascendit Eucharistica hæc cyfra?* vel: creaturæ sunt Ideæ men-

mentis Divinæ. hinc: *Specialis Divinæ mentis Idea, species Eucharisticæ, Deum circumferunt, cum Ideas creaturarum Deus in sinu mentis circumferat.* vel. creaturæ vocantur etiam figmenta manûs Domini, hinc: *Nobilissimum dexteræ Excelsi figmentum, Eucharistica Ceres. Si dici figmentum potest? æternæ Veritatis effigies.* vel: *opifex cœli, & terræ Deus, omne suum artificium in opere, & ope Eucharistici orbis absolvit. &c. &c.*

Quæratur ex secundo puncto: Eucharistia denotatnè aliquid Spiritualis? aut corporei? Invenies utrumq; hinc quidquid de spiritibus, Angelis, thronis, virtutibus, &c. asseritur, artificio sublimi rationis, applicabis tuo sensui; pariter, quidquid corpori accidit, huc trahendum. Hinc diceres: *Heu! quæ mensæ Eucharisticæ lautitia, ubi panis Angelicus fit cibus hominum? Quid? Spiritualis hæc mensa, spiritibus vetita, solos admittit mortales convivas. Exertant insvetas aliàs spiritibus lingvas Seraphim, & vesci hac esca nequeunt. Homo spiritu plenus, Divinos spiritus superat.* vel. *Virtutum chori in sphæram Eucharisticam egêre coloniam.*

vel: *Linea cujuſcunq; ſpiritualitatis in circulo Euchariſtico terminatur.* &c. &c. Ex parte corporei. *Admirare! ſpirituales animæ incorporantur Euchariſtico Principi. Imò, ab omni alias cibo abſtemiæ, quo plùs Divinâ carne paſcuntur, plus ſemper ſunt jejunæ.* &c. &c.

Quæratur ex tertio puncto, cujus materiæ ſit Euchariſtia? invenies quod intuitu ſpecierum, ſit panis azymus, tritico originem debet, hinc quidquid tritico, pani, frugibus ſervit, ingenioſè applicabis Euchariſtiæ. vg. *Maximæ frugi Ceres Euchariſtica in meſſem gratiarum exuberat.* vel. *ſementis optima beatitudinis granum Euchariſticum, quæ florem E lectorum cœlo educat.* vel. *Triticea hac à corona, quid non Regij expectes?* vel. *Adipe frumenti Euchariſtici nihil pingviùs.* vel. *Frumentum hoc electorum, rigatum eluvione oculi, cordis contriti exigit agrū, ut in ſegetem gratiarum exuberet.* vel: *An nona hæc cæleſtis, non annorum tantum, ſed & æternitatis ſpatio ſufficit.* Intuitu Xſti latentis, materia Euchariſtiæ, eſt Corpus, Sangvis. vg. *Frugalemne hanc dixeris menſam? quæ fruge penitus abſumptâ, ſanguinē*

Domini sui propinat, corpus in offam ponit. vel. *Quis regnare Panem Eucharisticum ambigat? quem niveæ species candidatum, Sangvinis purpura regem asseverat.* vel. *Procul hinc Threÿcÿ Busiridis jumenta! carne Divina homines vescuntur: nisi homo quoq; insipiens, comparetur à Sacra litera, jumento.* &c. &c.

Deinde quæratur, cujus formæ seu substantialis, seu accidentalis? Forma substãtialis sunt verba consecrationis; hinc diceres: *Verbo, cœli firmati sunt, verbo & cœlum Eucharisticum, ubi Deus includi voluit.* vel: *Apum examina ad tinnitum æris, Apis cœli nectarea, Christus, ad sonũ oris, in Cereris considet cella.* vel. *Potens sanè lingvæ Mystalis svada, quæ Deum ex astris, in aras pertrahit.* vel. *Extra Sacrificium Mercurij. Verbo æterno lingva Mystarum Sacra, Deo oneratur, quæ species Eucharisticas Deo onerat.* &c.

A forma accidentali, dices Hostiam Eucharisticam rotundam, sphæricam, orbe vinctam, orbis capacem, hinc: *In hac Eucharistica rota, Regiæ fortunæ rotã adoraveris.* vel. *Sphæra hæc cælestis, primum gratiarum mobile, quod non ab intel-*

ligen-

ligentiâ creata, ſed Deo ipſo regitur, quem circumfert. vel. *extra OrbemEuchariſticum, quid quæſieris? quam cæcum chaos.* vel: *orbe capitur, quem orbis non capit. &c.*

Quæ cauſa efficiens Euchariſtiæ? Crhiſtus, Deus & Homo, Sacerdos Myſta, *&c.* hinc. *Poſt Regium ceroma ſuum adipe frumenti Chriſtus ungi voluit, ut terræ filios, cœli hæredes redderet.* vel. *Quis Deum plus ſapit? quàm Ceres Euchariſtica?* vel: *Obſtupeſce natura! Deum. & Hominē eodē tegi ſipario.* vel *Sanctus hic panis, Sanctos Myſtas exigit. &c.* A cauſa efficiente inſtrumentali; quod igne pinſitur, ferro exprimitur hoſtia. &c. unde diceres. *In foco amoris Divini prius, quàm in furno ignibus excocta, cœli pro terris, hoſtia.* vel: *Æſtu ſalutis humanæ potiùs, quàm Mulcibereis toſtum ignibus ferculum Euchariſticum.* vel *Complexu biſaucis ferri expreſſa, ut faucibus inferni hominem extrahat hoſtia.* vel. *Pinſile hac Euchariſticum flammis ſocorum aduritur, ut orbis incendium præſeſerat. &c.*

A cauſa finali diceres, Euchariſtiam eſſe à Chriſto inſtitutam, ut inde opem, ferant mortales; ut ſalutem & vitam æternam ijſdē nanciſcatur, ut homines red-

reddat Sanctos, Angelos, Virgines. &c. *Opis filiam, Cererem finxêre vates, æterna Veritas Eucharisticam Cererem opis humanæ Matrem formavit.* vel. *Virgineæ species Eucharisticæ, quidni Virgines progenerent mentes?* vel. *Salus mundi, in mundo Eucharistico habetur.* vel. *Cœlum Eucharisticũ, quos non invenit fecit Angelos.* &c.

Quæratur ex puncto quarto, estnè superlunaris, an sublunaris, corruptibilis an incorruptibilis Eucharistia, & utrumq; ingeniosè applicandum: vg. superlunaria sunt astra, cœli, Sol, Pollux & Castor amica navibus sidera, poli, sphæræ, axis, convexum &c. hinc diceres: *Solem Eucharisticum maculas inconstantis Lunæ, (hominem intelligo, nam & homo Lunæ ingenio fruitur, cum mutatur ut Luna,) quis non despicere ambigat? quas radijs suæ clementiæ offundit.* vel. *o! quot astra terrarum, cœlo divinæ Cereris debemus?* vel. *Igneum solem vocent Astronomi, niveum in sphæra Eucharistica adoramus, sed orbis incendium spirat,* vel. *In convexo Eucharistici panis, quid aliud, quam sidera spectaveris.* vel. *o! quam salutare & amicũ*

sidus

ſidus Eucharisticum, periclitantibus in hoc mundi pelago mortalibus. vel: *extra omnem corruptelam Eucharistica Ceres, ſit neceſſe, quæ ex corruptæ vitæ hominibus, incorruptos, ideoq; cœlo idoneos reddit. &c.&c.*

Ex circumſtantia ſublunarium poſſet ad multa comparari Euchariſtia, cùm omne id, quod ſub ſphæra lunæ reperitur, ſublunare dicatur, ſed hoc potius ad alium modum amplificandi referimus, modo ſatis dicere, fruges; in ſpecie triticum, herbas, & quæ frugibus conveniunt, eſſe ſublunaria. Hinc: *Sub variæ hemiſphærio lunæ, ſphæram Euchariſticam etſi vides, at Deum, ideoque & Lunam ambire ſcias.* vel: *Divinius, hoc frumentum, ut bonæ frugis mentem hominibus ingeneret, oculi, non Phœbes rore aſpergi deſiderat.* vel. *Flos campi, Cæleſtis ſponſus, Euchariſticâ ſeipſum revincit coronâ.* vel. *Cererem hanc ſanctam nunquam in herba videris, etſi ſemper cum ſpe, quæ vix in ore Divino nata, maturuit in muricem ſangvinis & corporis Chriſti, imò in Deum.* vel: *quo lunæ deliquio alterari poſſet noſtra Ceres? quæ rumpitur quidem, ſed non corrumpitur, integra dum frangitur; ſine ſui corru-*

corruptione generat Deum, in quem panis transſubſtantiatur. Non alteratur; etſi alterius à pane ſit naturæ. &c.

Quæratur ex 5to. puncto eſtnè ſimplex, an mixta? elementum, an compoſitum Euchariſtia? & quidquid de his dici poteſt, ſubtili ratione Euchariſtiæ applicetur. Hinc. *Simplex cibus, in regia Euchariſtici Principis menſa, qui à Deo Simplici conditur.* vel. *ſimplices columbas, granum hoc ſimplex, ſed gratiarum fertile, exigit.* vel. *Commiſtum hic homini Deum adora, non confuſum.* vel. *Habet Orbis Euchariſticus ſua elementa, quibus eminet; dubitas? ignem amoris Divini, undam pœnitentis oculi, terram bonam cordis contriti, ipſum æthera, an auram lenem inſpirantis Dei, hic coles.* vel. *Extra Geometrarum decempedam eſt Euchariſticum gratiarum elementum. Leucas non novit alias, niſi quas immenſitas admittit.* vel. *elemẽtum gratiarum eſt hoc alimentum.* vel. *etiam in hâc elementali ſphæra, humidum ſanctioris pupillæ, cum arido obſtinati pectoris; calidum, ferventis amoris Divini, cum frigidis mentibus æternâ pugnant antiperiſtaſi.*

Quæratur ex 6to. puncto, estnè animata, vel inanimata? mox quidquid de anima, de spiritibus, de animæ actionibus, constitutivo, potentijs &c. dici potest, imò quodècontra inanimatis servit, ingeniosè trahendum, ad formandos de Eucharistia sensus. Hinc. *Exanimes Euchàristiæ species ipso animantur Deo, ut vitam hominibus inspirent.* vel. *Terreum licet genus, Eucharistica Ceres, Divini tamen intellectûs, crassa ingenia, & rudes animas odit.* vel. *Hoc habet singularis, anima hæc mundi, Divinior Ceres, ut extra sphæram sui ambitûs posita, tot Ecclesiæ informet, & firmet membra, cum alias in distans agere omni sit vetitum causæ.* vel. *mortemnè aliquis timuerit? qui vitam in hoc sanctiori bolo abligurit.* vel. *Candidum hoc Cœlum, atra funera excludit animarum, quæ in se immortales, moriuntur, gratiæ mortuæ, hinc vitam beatitudinis auspicantur.* vel. *vitales spiritus hominum, absq; vita, qui ab hoc vitæ non derivantur fonte.* vel. *Extra controversiam est, Eucharistici Principis animam, plura numero informare corpora, sed quæ in unum Christi coalescunt corpus, hoc tamen organicum*

nicum sit necesse, id est harmoniâ ut unionis, ita virtutum insigne.

Ex puncto 7mo. estnè sensibilis, an insensibilis? & hinc circumstantiæ omnes deducendæ in usum nostrum. vg. *Tactum non sentit Eucharisticus Princeps, etsi sensus omnium tangat.* vel. *Ad tot orbis irreverentias, imò & probra hæret insensibilis Princeps Eucharisticus qui tamen sentitur in pœna.* vel: *o! prodigium! fractus frangi ignorat, depastus depasci nescit, vulnus non sentit. Nihilominus sensibilem scias Eucharisticã Cererem, quæ frigore desolatorum cordium tangitur, & æstu fervidi amoris recreatur.* vel. *Incruenta hæc hostia, quæ ferro haruspicum non læditur, laniatur plerumq; sceleribus hominum.* vel. *Quidni Divinior hæc Ceres sit extra sensũ, quæ etiam acutissimos sensu, extra se rapit mortales.*

Ex puncto 8vo. quæres, estnè rationis capax, an non? unde diceres; *Cesset hic omnis ratio, ubi qualiter parvo hoc orbe immensum capitur Numen, nemo capit.* vel. *fertile ingenium Divinæ Cereris, hos sapere facit, quibus sapit.* vel. *In circulo Eucharistico, Divinam adora sapientiam;*

vel.

vel. *Grandem Divinæ mentis conceptum, in hac brevi & rotunda Eucharistica periodo, admirare.* vel. *IntelleƐtu Cereris Eucharisticæ quis non saperet.* vel: *Objectũ sciẽtiarũ, sphæra hæc sapientiæ æternæ.* vel: *In tabula Eucharistica scriptum Verbum æternum, compendium omnis sapientiæ est.*

Ex puncto 9no. quæres ad quod, genus vel speciem refertur? genus Eucharisticæ hostiæ, fruges, far, panis, cibus victima. Species triticum, species ipsæ Eucharisticæ. Hinc diceres: *Fruges hæ beatæ, frugi animas cœlo enutriunt.* vel. *nocent & frugibus umbræ, canebat Mantuanus Olor, hic ipsæ divinæ fruges, umbræ sunt mysteriorum, quibus Divina inumbratur Majestas.* vel: *pingve far Eucharisticum, quod orbi in alimoniam sufficit, nec deficit.* vel: *Species Eucharisticæ, genus non admittunt, semper singularissimæ, quia semper Deo repletæ, qui unicus & singularis est.* vel: *Aureos Vitellij alicujus panes, & nostrum triticeum in lances accipias, hic cœlum petet, ille Plutum, hic alvum mentem levat, ille gravat.* vel: *Individuum hoc Eucharistici panis, non terrenæ Cereris, sed*

Cæle

Cœlestis glebæ est Panis, quippe, hic est, qui de cœlo descendit. vel : *ultra sensum Aristotelis, Schola Coristi sapit, ubi in specie Eucharistica, individuum Christi demonstrat.* vel *Species Angelicas, species Eucharisticas dixeris, quæ in uno acquiescunt individuo &c.*

EXEMPLUM II.

SUmamus iterum ad amplificandum, vocem hanc, *Corona Regia*, ne soli id Eucharistiæ servire putetur, ex eo, quod ibi creata & increata, Divina & humana jungi potuerint, hîc autem non itẽ, unde notandum existimo, quod etsi alicui substantivo non competat propriè quodpiam ex supra scriptis punctis, potest tamen competere methaphoricè & per ingeniosam applicationem, ut statim ostendemus. A primo puncto dices Coronam Regiam, esse creatam. Hinc. *Quam dives nihilum sit necesse, unde ut reges, ita, & massa regiorum diadematum educetur.* vel *Quoties opulentior nihili filia corona, Regum ut mentibus imprimit, ita auribus insusurrat, quam magnificum sint nihil.* vel *Malè sibi æternitatem affingunt Regiæ Coronarũ*

sphæræ, quæ tam humili se debent principio, nempe nihilo. Nihili sunt coronarū cyfræ, ubi unitas regnorum deest. vel. *Opificis Dei opulentum opus coronæ. &c.* Quia verò coronæ propriè non convenit ratio increati, applicetur ingeniosè, vg. *Creatrices Regum Coronas scias, quæ toties novas sibi sufficiunt creaturas, quoties novam statûs efformant machinam.* vel. *Viluit in orbe Deus, postquam pro Numine aurum coronarium adorari cæpit.* vel *Pinguius hodie coronato sacrificatur Diti, quam cœli Domino.* vel. *Docuit fabulosa antiquitas in auro Jovem, ideoq; in coronis numina, coli.* vel. *In coronarum peripheria, æternitatem sibi præfigunt terrestres Dij, Principes.* vel. *Habet suas aras, & coronariū aurum, quas subditorum erigit fidelitas, ut ad illas vitam & sangvinem pro Principe victimet.* vel. *Aræ coronarum, aureas Diogenis oves, quo ille opulentiores vocabat nomine, sibi immolari volunt, id est, opibus Civiū succollari.* vel. *Aurum, pro verò Numine, sæpe fuit.* vel *Magna coronarij auri ambitio est; nullos sibi, nisi cōmunes cum Deo poni patitur terminos; humilem terræ Patriam non acceptat.* vel.

Quo-

Quoties superba hæc capitum ornamenta, suis inspirant Principibus! & te quoq; dignum, Finge Deo.

Ex quæsito 2do. Corona Regia est corpus terreum, propriè; impropriè, & per rationem ingeniosam ea, quæ spiritûs sunt, illi attribui possunt. vg. *Hoc supra corporum naturam habet, aurum coronarum, ut muros & arces penetret, postquam aureus coronati Jovis imber seras & propugnacula Acrisiæ perrupit turris.* vel. *Durum coronarum corpus, quod nec sub Vulcani malleis emollescere potuit, duram plerumq; Principibus ingenerat mẽtem.* vel. *Grandium spirituum Mater corona, etsi terræ filia.* vel. *Quo non vis involat auri? alituum prægressa vices.* vel. *Præter Regum capita, habent suum Imperialia serta intellectum, dum non nisi meritissimis insidere ambiunt.* vel. *Lineam intellectualitatis in orbe Coronarum reperceris, quæ nisi sapiant, vitiosi sunt circuli. &c.*

Ex quæsito 3tio. Materia Coronæ Regiæ est aurum, hinc quidquid auro servit, ingeniosè asseri poterit de Corona. vg. *Pingvis gleba sit necesse, quæ au-*

rum coronarum generat, ideoq; non sterile ingenium in Regibus exigit. vel. *Rupicola auri massa, ubi in coronarũ fastum ascenderit, rupibus asperiùs pectora Principum indurat.* vel. *Mirare aurum in coronis plerumq; suum amittere pondus, dum levibus accidunt ingenijs.* vel. *Inter flammas Martiales, meliùs, quàm ad focum Patriũ, coronarium exercetur metallum* vel. *Melius in aurifodina Civilium pectorum, quàm rupium, aurea coronarum quæretur vena.* vel. *Coronæ, ex natura originalis sui metalli, arcana colunt, an abdita?* vel. *Quid? Ex auro Regia conflari diademata credis? curarũ maceries materia est coronarũ.* v. *Quis ambitûs limes? glebam coronarij auri vestigio hominum subjecit natura, fastus capiti imposuit &c.*

Forma Coronæ Regiæ, est rotunda, hinc quidquid rotundum in creatis reperitur, ingeniosè coronæ applicetur. vg. *Vt cœli, ita Imperiales sphæræ, gemino regi oderunt sidere.* vel. *Orbis coronarum, bonæ frugi hominibus, vivarium est, non feris. Fines nullos patitur ut imperij ita ambitûs.* vel. *Novum in coronis orbem adoret Columbus, quò non per Oceani,*

sed

ſed per ſudorum enatatur procellas. vel *Quã-tum regnorum computum aureæ coronarum cyfræ? pro quibus tot millibus hominum decertatur.* vel. *Regum diademata, cyfræ ſunt, niſi gladius Martis in unitate bellicarum virium, adſtipuletur.* vel. *Quid aliud ſunt rotundæ coronarum peripheriæ? quàm Ixionis rotæ, quæ perpetuo regum mentes exercent cruciatu.* vel. *Nobilis hæc fortunæ regalis rota, quot non egit in vertiginem capita?* vel. *Eo dignius Coronarum ſphæræ, Hymenali annulo, Reges deſponſant Reipublicæ, quo præſtantius eſt manu, caput. &c. &c.*

Cauſa efficiens Coronæ Principalis eſt faber, inſtrumentalis, malleus ignis, incus, folles, forceps, &c. hinc ad fabulam Vulcani, Cyclopum, Brontis, & Steropis, ad incudem Siculam, ubi fulmina cuduntur, &c. deſcendendum. vg. *Faber quantumvis fortunæ ſuæ & coronæ ſit Premiſlaus, inter incudem tamen & malleum infortuniorum ſæpe periclitatur, qui ad ſuam profecit.* vel. *Ruſticâ Cyclopũ fabricatæ manu Principum tæniæ, durius plerumq; imperialia premunt capita.* vel. *Opifex coronarum Mulciber dum ceſpitát, ceſpita-*

ſpitare, imò in præceps agi coronas,erudijt. vel. *Ex utre Vulcani afflantes regia diademata venti, quidni perennem regnorum ſpirent tempeſtatem?* vel. *Lenes ſint quantumvis Etheſiæ,quæ ſerta Regibus conflant, illa tamen ſevero adverſitatum ſemper flagellantur Aquilone &c. &c.* Cauſa finalis Coronæ Regiæ eſt, ut ornet caput, ſignum ſit regnorum, diſtingvat Principem à Proceribus *&c.* vg. *Coronas inſignia Regum ſcribis? ſigna ingentium periculorum ſcias, neceſſe.* vel. *Ornant Regum diademata, ſed & onerant; decent coronatas frontes, ſed & pati edocent.* vel. *Regum ornamenta diſtingvere Reges à populo deberent, non diſcindere. &c. &c.*

Ex quæſito 4to. Corona Regia propriè eſt corruptibilis, ut pote ſublunaris; impropriè, & per ingenioſam combinationem, poteſt dici incorruptibilis, ideòq; cœlo, aſtris, ſphæris, polo, ſideribus in ſpecie, ut ſerto Ariadnes, Zodiaco *&c.* aſſimilari. vg. *Quid faciliùs? quàm auro, corrumpi aurum coronarium.* vel. *Ærugo coronarum, onerata ſpolijs populorum æraria.* vel. *Eſt ſua & coronis ærugo, quâ conſumuntur.* vel: *Variante in*

coronis

coronis inconſtanti adamantum flammâ, ſtabile regalis fortunæ ingenium ſperes? vel. *Pulveſcere aurum coronarium ignoras? introſpice Regum Mauſolæa?* vel. *In medetam Imperialis faſtûs, pulverizari Regum diademata ſcias.* &c. Ex adverſo dices. *Coronati ſoles, inconſtantiam lunæ deſpiciant, neceſſum.* vel. *Solis pignus, quia ſolaribus efformatum radijs, aurum coronarum, ſæpius tamen fulgura quàm ſerenum, tempeſtatem quàm malaciam, freto populari minatur.* vel *Sphæræ Coronarum Regni, ſudum Clementiæ amant.* vel. *Zodiacum imperialis tæniæ, libra æquitatis decet. &c.*

Ex quæſito 5to. Impropriè Corona dici poteſt, corpus ſimplex, Elementum, &c. propriè eſt corpus mixtum, unde ingenioſè ludendum erit ad utrumq; vg. *Elementum Regnorum felicitatis, alimenta coronarum.* vel. *Cujus qualitatis homo eſt in quavis Republica? qui ſe elemento Principum gratiæ non debuit?* vel. *Originalem glebam imitata Regum diademata, ſæpe in fruge & flore beneficiorum ſterileſcunt.* vel. *Nil ſimplicius coronis, quàm cùm ſimplicem ignorant Deum, imò ut talem recognoſcant, ſimplices ſint, neceſſe.* vel. *Quot malorum,*

&

& laborum mixtura est, Corona Regum? vel. *Fermè semper Mulciber in coronis, ferro commiscuit aurum.* vel. *Quid orbi utilius? quàm coronas regum componi, cum corona populi. &c.*

Ex quæsito 6to, Corona propriè est inanimata, impropriè animatam dices. vg. *Anima regnorum est, prosperitas Coronarum.* vel. *Expers animæ aurum, metu emortuas animat mentes.* vel. *Coronis debent imperia, omnem sensum felicitatis.* vel *Arcanâ Coronarum virtute, privatæ Civium vegetantur fortunæ.* Ab adverso. *Rupium naturam imitatæ Regum coronæ, non sentiunt, cum gemitu populi flagellantur.* vel *Exanimes sunt Principum Coronæ, quas amor populi non informat &c.*

Ex quæsito 7mo. Corona propriè insensibilis, per ingeniosam rationem dicatur esse sensibilis vg. *Grave superûm flagellum sit necesse, quod coronæ sentiant, quæ suam originem saxis debent.* vel. *lapidibus Erythræo, aut Gange extractis, onusta Regum diademata, animum, non cervicem tantùm Regibus indurant.* vel. *Magni sensûs Coronæ sunt, quæ necdum natas plerumq; subolfaciunt seditiones.* vel. *Ipso lyn-*

cc

ce acutiùs, perſpicaces Regum Coronæ, Civilia rimantur pectora. &c.

Ex quæſito 8vo. Corona propriè irrationalis, impropriè dici poteſt prædita ratione. vg. *Subtile coronarum ingenium, inaſſequibiles pænè in oppreſſionem populi molitur conceptus.* vel. *Intellectu potiùs coronarum, quàm galearum præſidio ſtabiliuntur imperia.* vel. *eſt ſua coronis ratio quæ dignos non niſi ambiunt.* vel. *Judicium coronarum, quoties lances Themidis ingredit, ſuo pondere ſe tuetur.* vel. *Quod caput, etiam parturientis Minervam Jovis, cerebri tot refertum cogitatis? ut Regum coronæ, ſive ſuo proſpiciant honori, ſeu populorum ſecuritati &c. &c.*

Ex quæſito 9no. Corona eſt ſpecies metallorum, metalla genus. Hinc dicerēs *Genus terreum coronæ, faſtigia ambiunt.* vel. *Nobilius auri metallum, quem non nobilitet?* vel. *Metellos amat, coronarium Metallum.* vel. *Rudior auri gleba, quot ictus patitur, donec regum involet capita? immò quot ſudoribus heroum offunduntur frontes, antequam coronentur.* vel *Non infimæ ſpeciei Coronas crediderìs, quæ extra caminia nunquam ſubſiſtunt.* vel. *ſpecioſum malum*

eſt,

est, corona. vel. *species coronarum, quot non evocat amatores?* vel. *Individuum vagum corona, has deserit, alias occupat stirpes.* vel. *Vastissima coronarum species, uno individuo expletur, aliàs in sua potentia impotentem se experiretur: &c.*

Notandum quod hæc omnia artificiosè possint in unam praxim, colligi, & disponi, prout inferius ostendetur. Nunc sit.

METHODUS 2da.

De fundamento secundo eloquentiæ, ex consideratione Adjectivi.

CUm tibi proposueris aliquem sensum formandum, & assumpseris substantivum, adijce Adjectiva, quæ tibi subministrabunt mox proponenda quæsita. Hæc adjectiva mutentur in substantiva, & utriusq; substantivi, tam in propositione jam habiti, quàm recens, ex adjectivo facti considerentur circumstantiæ, per supra dictos modos, unde infinitos sensus, conceptus, argumenta, copiam verborum maximam, haberepoteris. Adjectivorum autem ejusmodi inveniendorum quatuor fontes assigno. Quorum

FONS PRIMUS
De inveniendis Adjectivis ex circumstantia.
Quantæ Rei.

AMplissimus modus comparandæ svadæ oratoriæ, indagatio, vel parvitatis, multitudinis, vel singularitatis, mensuræ, æqualitatis &c. Substantivi amplificandi, Quod metro imminenti perstringimus.

Rem quoties cultæ velles committere svadæ.
Quanta sit, advertas: num culmina culmine vincat?
An parvo contenta situ? numeronè beata?
Vel minus? insignes, an ut aggreget, intrat acervos?
Mensuræ cujus? seu tempora dividat illa.
Sive rei corpus, seu certi lucra valoris;
Quidvè tibi servit generali nomine quanti?

Hoc ita intelliges; ut Substantivo addas, ex circumstantia quantæ rei adjectiva, quærendum est 1*mò* cujus magnitudinis, aut parvitatis est Substantivum? 2*dò*. Cujus numeri? aut aggregationis? 3*tiò*. Cujus mensuræ? seu quo ad tempus, seu quoad extensionem.

4*tò*. Cujus valoris? 5*tò*. Qualiter ipsi competant proprietates generalis quantitatis, hoc est; an sit æqualis? tota, vel pars? Continua vel discreta?

Pro cujus rei meliori elucidatione, & faciliori captu, sit.

EXEMPLUM PRIMUM.

ADdamus vg: Substantivo Eucharistiæ adjectiva *ex 1mo quæsito*, magnitudinis, & parvitatis; imò per rationem, ingeniosam utrumq; Eucharistiæ applicemus; hinc: *grande ferculum Eucharisticæ Cereris, in quo Deus convivis apponitur.* vel. *Maxima hæc Cælestis mensæ portio, in sua magnitudine parva, quæ non nisi parvos generat.* vel. *Ab exiguo hoc Eucharistico puncto, tota felix æternitas dependet.* vel. *Vnica hæc lacte Cereris fusa periodus, omnem sensum mentis Divinæ absolvit.* vel *Quid? lacte etiam nostræ Cereris, cui Tellus originem dedit, magni educantur Gigantes, qui cælum violenti rapiant.* vel. *Terni sit Enceladus pectoris, ad magnitudinem Eucharistici hospitis rumperetur.* vel. *apicem omnigenæ perfectionis, in hoc plano Eucharistico invenies &c:* Et sic ulterius, quidquid in magnitudine aut parvitate simi-

ſimile eſſe poteſt, ſubtili modo combinandi, trahendum ad Euchariſtiam; & hoc, ex occaſione adjectivorum magna, parva. *Ex 2do quæſito* conſideretur numerus ſingularis, vel pluralis, vel per ſe numerus, ut unum, duo, tres. primus, ſecundus, tertius, *&c*: imò quidquid numero competit, applicandum Euchariſtiæ ut calculus, Arithmeticæ ſpecies, computum, hinc: *Vnum hoc & ſingulare Euchariſtici panis munus, quod ipſum Deum ſpecierum compede captivet.* vel *Nulli creaturæ ſecunda Euchariſtica Ceres.* vel, *Secundiſſimæ dapes, quibus animarum felicitas educatur.* vel. *Vnico hoc nummo, cælum pignoratur.* vel *Ad numerum currit, cui Euchariſticarum gratiarum harmonia præludit,* vel *unus numero Euchariſticus Princeps, innumeros ſui amatores exigit.* vel. *Quis, ad Divinum hunc calculum, non ſecurus debitor.* vel. *Vnitati Divinæ adſtipulans Euchariſtica hæc cyfra, quem numerum beatitudinis non excedet?* vel. *Quot electorum cumulos tibi aggregat Euchariſticus Princeps, qui de lapidibus filios Abrahæ producere poteſt?* vel. *unum Verbum Divinum, ſine ulla aggregatione vocum Eucha-*

ucharisticà notatur periodo, quia in ipso omnis continetur sapientia &c.

Ex 3tio quæsito, cujus sit mensuræ Eucharistia? diceres, immensa, illimitata, infiniti valoris &c: hinc: *Immensa, sui incolæ dignitate Ceres Eucharistica, limitata specierum angustijs.* vel. *Vastum orbem, in brevi, & tenui Eucharistico adoraveris Circo.* vel. *huic puncto Eucharistico tota se æternitas impendit.* vel. *In superficie Eucharistica specierum, nihil superficiale, DEO ambiuntur, quem tegunt.* vel. *Mare hoc gratiarum quâ bolide mensuraveris?* vel, *Omnem amussim, Virtus DEI Architetrix hìc absolvit*, vel. *Gradibus affectuum, non decempedis, orbem Eucharisticum metiri licet.* vel. *Horarium, in periphæria Eucharisticæ Cereris habes, quod sol Justitiæ illustrat, ut æternitatis momenta, non dierum designet. &c.*

Ex quæsito 4to. Cujus sit valoris Eucharistia? Dives, nobilis, pretiosa, opulenta, &c. *Hinc: Peregrinæ è cælo, in terras Principis Eucharistici opes, quod pretium merentur? si exoticæ merces magni semper veneunt.* vel. *Grande commercium cæli cum terra in Eucharisticæ Cereris mercibus.*

cibus. vel: *Nummo hoc Eucharistico cælum emitur, aut si pretij majoris aliquid mundus habet.* vel. *Obæratum homini Numen, postquam Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos peccati jugo solveret, hoc se nobis exolvit denario.* vel: *Quanti hæc Sanctior drachma æstimatur; si orbis incendio opus est, ut reperiri possit, in mundi etenim obscurâ nocte nunquam patebit.* vel. *Gemma hæc nobilior regnorum, non Tonante, sed sereno affulgente cælo, quia inter epulas Cænantis Domini, pro concha, manus ejusdem sortita, terræ pariter, ac Cœli usui nascitur, in qua, præter Antonij luxum, Regnum DEI bibimus.* vel. *Purpuras Regum, trabeas Procerum, sagum bellatorum, in nivea Eucharisticæ Cereris chlamide adoraveris.* vel. *Hoc certè stemmate sese insigniat necesse, quisquis primæ Nobilitatis virum, & Cœli hæredem agere vult, &c. &c.*

Ex quæsito quinto consideretur æqualitas, vel inæqualitas, partes, totum, &c: Eucharistiæ, hinc diceres. *Quid æquale Eucharistico Principi terra dabit? cui par non datur, etiam in Cælo; ut numerum ita socium, nedum æmulum non admittit.* vel.

Mini-

Minimo tegitur specierum velo, quo nihil majus Cœli revelant. vel. *Formam suam sphæricam, panis materia, cedit DEO, scilicet, sphærarum Cœli domicilium, solius DEI est.* vel. *Anima fidelium, corpus Christi in bolo panis porrectum, ut scias Officium animæ, corpus Divinum præstare cum animæ vetitum sit: plura corpora informare,* vel. *Caput illud, quod sponsa aurum optimum nuncupat, sub nivibus Eucharisticæ Cereris latet? scilicet, de natura auri est, latebras, sive montium, sivè mentium incolere.* vel. *Certè cor Eucharisticum, dormiente etiam in bysso panis Domino vigilat, dum noctu, diuq; in salutem nostram excubat.* vel. *Audis? quam diserto ore inter arcanorum silentia, è cancellis specierum perorat Deus Homo? postquam Verbū, Caro factū est.* vel. *Quis oculus, sine hac pupilla Eucharistica, lucis capax &c.*

EXEMPLUM 2dum.

In Coronam Regiam.

EX *primo quæsito* magnitudinis, & parvitatis, diceres Coronam Regiam grandem, spatiosam, amplam, vastam, ingentem, & è contrario, pro sensu exigente; hinc formanda Substantiva, quæ aliquomodo magnitudinem, & par-

vitatem denotant. vg. *Vastus nimium Curarum Orbis, corona.* v. *Exile coronarum spatium, non tam magna Regum capita, quam cervicosa occupat solicitudo.* vel. *Quis non miretur? in angusto diadematum circulo, expertem limitis reperiri curarum vastitatem.* Vel. *Brevis Coronarum ambitus, quanto patet Principum ambitui.* vel *Natum in culminibus aurum coronarium, ad majora semper aspirat fastigia.* Vel. *Integros montes succollare doctum Regium hoc munus, nulla curarum mole obruitur.* vel. *Parvus mundus est diadema, sed grandibus incolis occupatur, ubi ferè semper suam infortunia transferunt coloniam.* vel. *Cœlum hoc coronarium, Atlantis frontem exigit, ut debitè feratur. &c.*

Ex quæsito 2do. numeri & aggregationis; *Numerus coronarum, frequentem patitur subtractionem.* vel. *Odit regulas pigri solers coronarum investigatio.* vel. *Regia hæc cyfra unitatē coronati Capitis amat; secus aucto Principum numero, mille mala designabit.* vel. *Secunda coronarum prosperitas, quæ non sæcunda.* vel. *Centum oculis coronatum cujuspiam Argi muniatur caput necesse, ut pupillam hanc regnorum, uni-*

ce omnibus dilectam, conservet. vel. *Felicior semper Corona, quàm aggregata Civium multitudo suo præstat Principi, quàm quæ desolatis rupibus se debet.* vel. *Vnicum hoc est infelix adeo fortunæ munus, quod mille semper comitantur incommoda.* vel. *Sola feralis Lybithina demonstrat, coronarum sphæras, meam esse nullitatem. &c.*

Ex quæsito 3tio Mensuræ temporis, & extentionis. vg. *Æternitatem in sphæra coronaria adoraveris, si nec principium, nec finem Clementia Principum habuerit.* vel *Quid solidi in solio? si corona Regum solare quoddam horarium est, in quo vicissitudines lineas, honor umbram, imperatrix virga stylum, puncta breves periodos vitæ denotant.* vel. *Ætas coronarum heroicis annalibus, non annis mensuratur.* Vel. *Zodiacus Regalis tæniæ, soli, non lunæ patet, id est, sereno mentium, non mensium frequenti mutatione distingvitur.* vel. *Toti fermè coronarum Domino, pars optima felicitatis, quies pacata denegatur.* vel. *Fulgent quidem aliquando coronata sidera, sed ad superficiem tantùm.* vel. *Supremum in auge honoris punctum, apex diadematum.* vel. *Nisi ad circinum Geometricæ æquitatis, quæ meritis Civi-*

Civium, paribus respondent muneribus, formetur, vitiosus circulus est, corona, &c.

Ex quæsito 4to. Valoris vg. *Ingens Coronarum pretium, Optimi regnantes.* vel *Ad Lydium, saxo pejus obduratæ adversitatis, nativus coronarij auri magis enitescit valor.* vel. *Meritorum pondere, non librâ, regij diadematis examinaveris pretium.* vel. *Princeps hoc metallum, quod in rupibus aliàs regnant, inter homines terrestria munia quærit, quæ coronet.* vel. *Culminibus innutritum imperiale aurum, suprema ambit Regum Capitolia.* vel. *Vt pretium coronæ invenias, Martiale ferrum in adversa expone bilance.* vel. *Nosse voles, quo aurea Regum emuntur serta? bellicoso chalybe.* vel. *Martiali plumbo æstimationem Regalis auri optimè indagaveris.* A contrario. *Vilescit pretiosius Regiarum fontium aurum, ad vile Frontonis alicujus ingenium.* vel. *Oblita suæ originis aurea terræ gleba, centrum inter astra coronatorum Numinum quærit:* &c.

Ex quæsito 5to Generalis quantitatis. vg. *Tota ad artificij normam corona, raro est integra, quam arcant fermè semper dissecant æstus.* vel. *In summum evecta, sum-*

mum oderunt diademata, ne, dum æquale habent faſtigium, remittant è ſuo. vel. *Majeſtas coronarum, paritatem exilio mulctat.* vel. *Difformant Coronas, non informant popularium lachrymarum gemmæ.* vel. *Ærumnarum materia coronæ, dum appetitu inſatiabili in novas ſemper ſtatuum feruntur formas, ſe ipſas excruciant.* vel. *Quod corpus Reipublicæ manſvetudo coronarum non animet.* vel. *Pudet plerumq; coronata capita, cogitatione, & curâ ſubditorum onerari.* vel. *Quandoq; heroicæ manus potiùs quàm capita merentur coronas, ubi fortitudo præoccupat conſilium. &c.*

FONS SECUNDUS.

De inveniendis adjectivis ex circumſtantia.

Qualis rei.

OPtimus inveniendorum adjectivorum, & inde formandorum ſenſuum modus eſt, ex conſideratione rei, qualis ſit, hoc autem fieri poteſt, indagando ejus dignitatem, ſcientiam, indolem, mores, actionem, paſſionem, ſenſus, &c: quæ ſequentibus exprimuntur verſibus.

Res animo quali præſtat, perpende, boniſq;.

Cor-

Corporis; hinc habitum pensa. num fusus ab astris.

An quæsitus, opem studijs, animæve ministret.

Ingenium, moresve notet; simul actio nec non.

Passio subjectis quas firma potentia præbet.

Indaganda tibi, vel quod non posse videtur.

Quidquid habet sensus proprij; tum forma figuræ.

Juncta, modo facili facundis artibus undant.

Quod ita intelligendum est, quæratur.

1*mô*. Quibus animi, & corporis dotibus prædita sit res? seu cujus sit dispositionis quod ad spiritum, & corpus.

2*dô*. Quo habitu, seu infuso, ut sunt gratiæ, Dona DEI, seu acquisito, ut sunt sapientia, scientia, prudentia, ars, &c. sit insignis?

3*tiô*. Qualis in intellectuali, qualis in morali statu? ibi proprietates rationis, hic bonum, & malum; per consequens virtutes considerabuntur.

4*tô*. Cujus sit potentiæ; seu quæ ejus actiones, cujus impotentiæ, quid patiatur? quomodo resistat?

5to. A quinq; sensibus qualiter attingatur, aut illis est obnoxia, ubi sensuum objecta observari debent.

6to. Cujus formæ, cujus sit Figuræ? Amplius id, in exemplo, quod immediatè submitto, demonstratur.

EXEMPLUM PRIMUM.

AD *quæsitum* 1*mum*, ex connotatione dotum animi, spectat, esse magnanimum, generosum, heroicum, liberalem, honoratum, meritum, dignum encomiis &c. ex connotatione corporis, esse pulchrum, venustum, habilem, formosum &c, & è contra, id seu propriè seu impropriè ad tuos sensus applicandum, ita ut quamvis naturaliter hoc non serviat rei, quam amplificas, attribuatur tamen illi per similitudinem, virtute metaphoræ. Hinc diceres de Eucharistia: *Liberalis nimium Eucharisticus Princeps, dicam ne, etiam sui prodigus? pro massico sangvinem nobis propinat, pro edulijs seipso mensas ararum instruit.* vel. *Profusa in gratias, parca in pœnas Eucharistica Ceres.* vel. *Etiam Magnanimus Leo de tribu Juda, in hospitium sacræ Cereris descendens sat existimat, corde compunctos prostrasse.*

strassi. vel. *Decora species Eucharisticæ Cereris specierum, quem non irretiret amorem?* vel. *Præter judicium Paridis, sensu orbis totius, pulcherima Divina Ceres, Cæli & terræ globo, non aureo pomo dotatur.* vel *Venustatem Eucharistici sponsi, ipsum purioris Crystallo conscientiæ speculum optimè repræsentat.* vel. *Effigiem Divinæ mentis, Eucharistico numismati impressam quot gratiæ aperiant?* vel. *Gelatur Caspio marmore improba Venus, ad castas, & formosas Divinæ Cereris nives.* vel. *Procul Æthyopes animi à candore Cereris beatissimæ!* vel. *Crystallus pænitentis lacrymæ quovis pellucido fonte meliùs, venustas Eucharisticæ Cereris Charites exhibebit.* vel. *Quem non caperet forma Divinæ Cereris, quæ Deum capit?*

A quæsito 2do, ab habitu infuso dices: *Cælum se Eucharistico Orbi transfundit, quem tot gratiarum fluctibus offundit.* vel. *Gratiarum trias infæcunda aliàs, & sterilis, hîc in infinitum fæcundari meruit.* vel. *Virgines alibi gratiæ, hîc Matres, tot cælo progenerant filios, quot mensæ Eucharisticæ convivas.* vel. *Gratiosus sanè Eucharisticus Princeps, quia semper efficax*

quem noxarum onere alleviat, in cœlum levat. vel. *Infusum Eucharisticis speciebus cæli donum, in Deo arctius se teneri existimat, nisi extra sphæram Eucharisticam effundatur.* vel. *Munus hoc non tam manus, quam cordis fibras laxari desiderat, ut capiatur.* vel. *Non parcus in Eucharistico nummo Deus, nec sibi ipsi parcit, dum se inter dona Cœlestia prodigit.* Ab habitu acquisito dices: *Ad æternæ sapientiæ mensam non tã os, quam intellectum admoveris; ratio fide captiva hic convivatur, ut libera compedem ignorantiæ prætereat.* vel. *In hoc circulo semper quævis triumphat sapientia.* vel. *Humiliatum sub speciebus Eucharisticis Verbum Divinum quàm alta causa est sapientiæ? quam fideles animæ hic quærunt.* vel. *Nemo sapiens, cui frugalis hæc mensa non sapit.* vel. *Mensa Platonica, hac sacra dape instrui debuerat, ut ad gustum Orbis fuisset.* vel. *Collegium sapientum in circo Eucharistico adoraveris.* vel. *In circulum vitiosum agitur omnis sapiens, qui extra sphæram Eucharisticam exigit vitam.* vel. *In vertiginem aguntur Philosophica capita, quæ ad Orbem Eucharisticum non rotantur.* vel. *Facilè arbor Porphirij are-*

ste

scet ad quemvis difficultatum æstum, nisi signato hoc fonte humectetur. vel *Hoc sanè calculo rudioris lingvæ effutia corrigantur, ut in pietatis, ita literarum Palæstra.* vel. *Omnes scientiarum species, in uno speciebus Eucharisticis recto, habes Objecto. Adæquatum illud, quia omnem intellectum, imò & mundi exhaurit potentiam.* vel. *Grande cæli artificium, in uno panis Eucharistici puncto, Orbe non capiendam strinxit Majestatem.* vel. *Opifex mundi Deus, opifex in subsidio Eucharistico. &c. &c.*

A quæsito 3tio. ex circumstantia intellectualis, & moralis statûs, dices. *Indoles Eucharisticæ Cereris fert, indolere pœnitentibus.* vel. *Hoc est ingenium Humanati Verbi, à se perditos homines, sibi reddere.* vel. *sublimis certè Divinæ mentis conceptus, combinatam cum Divinitate humanitatem, una Eucharistica periodo claudere.* vel. *Quod usquam saperet caput, non impetrato ab hac Eucharistica Rota consilio? quam non tam Cardinalitius murex, ut candida specierum byssus commendat.* vel. *In fortitudine Divini hujus panis, quod non arriperet gloriæ iter novus quispiam Elias?* vel. *Pretiosior virtutum thesaurus, in rotundo hoc Sacræ*

Cere-

Cereris agro absconditur, quem nemo repererit, nisi profundis affectibus, pro vomere colat vel. *Castæ Nives Eucharistiæ Hostiæ Virgines progenerant mentes.* vel. *Quis pauper Spiritu? qui obolo hoc panis Sanctissimi locupletatur!* vel: *Proborum regulas morum in hac tabula leges.* vel. *Patientiæ Scholã, Vir dolorum Eucharisticus Princeps, in hac mysterijs adumbrata instituit Academo.* vel. *Lacte albentis Hostiæ pasti, quidni candorem innocentiæ combibant mortales.* vel. *Vitijs tantum, & criminibus, petra scandali, & lapis offensionis, Eucharisticus globus, ad quẽ allisa cervicem frangunt.* vel. *Summũ Bonum, quàm brevi compendio tenetur?* vel. *Justitiæ solem in hac sphæra adoraveris.* &c.

A quæsito 4to. ex circumstantia potentiæ, & impotentiæ actionis & passionis dices. *Limitata in Eucharistico orbe Dei Majestas, illimitata potentia. Quo minùs oculis hominum patet, plus potest, in animos, & corda hominum. Quod amplius Imperium, quàm Eucharistici Principis dari possit? ubi ipse Principium, & finis, finibus specierum tenetur. Supremam potestatem in humili hoc panis Eucharistici solio adoraveris. Ita Majestas etiam in arcto summa,*

ma, quæ sui mensuram à se, non ab incolatu habet. Absoluti dominij, quia absolutæ perfectionis Princeps hic noster. vel. *Scire voles quid omnipotens Eucharisticus Princeps non potest? cor contritum perdere.* vel. *Vincitur pœnitente lachryma, invictissimus.* vel. *Captivatur angusto Eucharisticæ sphæræ ergastulo, ut te liberum à vinculis Erebi reddat.* vel. *Latere sub speciebus elegit, ut tu illustrior inter Electos appareas.* vel. *Exinanivit se usq; ad obolum Eucharisticum, ut te hæreditate cœli locupletasset.* vel. *In Cibum se tibi dedit, ut tu cibus ejus fieres, de quo olim ajebat, ego alium habeo cibum, quē vos nescitis.* ve'. *Felix conviva mensæ Eucharisticæ homo, quam ille seipso instruxit, qui hominem struxit. &c.*

Aquæsito 5tò ex occasione sensuum hominis, scilicet visûs, gustûs, auditus, odoratûs, tactûs, dices. *Quid speciosiùs oculo mentis obijci potest, quàm sub speciebus Eucharisticis, speciosissimus inter filios hominum.* vel. *Candidus nitor specierum Eucharisticarum disgregat etiam mortalis oculi visum, ut congreget immortale lumen fidei.* vel. *Amicum homini sine colore Verbum æternū videri nonpotest, nisi cordis oculo.* vel. *Ambo-*

bi a-

brosiam Cœlestem panis Eucharisticè nemo gustaverit, nisi gustum hujus sæculi deperdat. vel. *Dulce saccharum candicantis hostiæ, amaritudine cordis contriti emitur.* vel. *Sapis, si anima tua non nauseat super hunc Cibum levissimum; si levis asseri potest, qui à solo succollatur Deo, imò Deo gravatur.* vel. *Verè dilectus noster inter lilia albentis hostiæ pascitur, ut nos odore dilectionis suæ ad se trahat.* vel. *Mollis in pœnas Eucharisticus Princeps quas cordium non liquaret petras?* vel. *Mentibus non manibus tangitur, qui cor tuum tangit latens Deus.*

A quæsito 6to ex circumstantia formæ accidentalis, seu figuræ, quod sit hostia rotunda, sphærica, circularis, instar Orbis, instar globi, periodi, puncti, &c. dices. *Deformes quantumvis animas formosas reddit, speciosi inter filios hominum forma.* vel. *Rota hæc Eucharistica, ipsos impœnitentes excruciat Ixiones; alias beatioris fortunæ Symbolum est.* vel. *Optimè curriculus vitæ ad æternam provehitur felicitatem, Sacræ hujus Rotæ officio.* vel. *Planum cordis hæc Rota amat, odit petras scandali, & lapides offensionis. &c. Vide Methodum primam, exemplum primum*

quæ

quæsitum tertium, ubi de causa formali Eucharistiæ egi.

EXEMPLUM II.

In Coronam Regiam.

A Quæsito 1mô, hoc est animi, & corporis dotes considerando, quæ metaphoricè applicari possunt coronæ, dices. *Coronarum animi, malè ab exanimatis Civibus, suam auspicantur magnitudinem.* vel. *Diadematum gloria, florenti Procerum coronæ se debet.* vel. *Distillatum inter belli flāmas, & æstus curarum Coronarium aurum, generosos in quævis adversa eliquat Spiritus.* vel. *Alchimicus lebes Imperialibus coronis fomes infelicitatum, quo in altiores sublimantur conatus.* vel. *Dives alias naturâ sui coronarium, aurum, liberales, non parcas, ut mentes, ita manus coronare amat.* vel. *Prodigium orbis, prodigæ in egenos coronæ.* vel. *Mansvetudo coronarum quos non cicuraret furores?* vel. *Mite aurum in diademate; quod tot ictus malleorum emolliverunt.* vel. *Non decet in vilem scoriam avaritiæ contrahi, pretiosam coronarum massam.* vel. *Onusta est plurimis periculis, Regiorum sertorum venustas.* vel. *Pulchrum est malum, malum Regium.*

gium. vel. *Nihil ita deturpat formosas Regum coronas, quam turpis civium egestas.* &c.

A quæsito 2do. scilicet ab habitu infuso, & acquisito, dices. *Cœleste donum Coronæ, terræ amorem induunt, ut exuant debitam Cœlo gratitudinem.* vel. *Non aurei Jovis, aut Vulcani munus est, sed dexteræ Omnipotentis Regium diadema.* vel. *In quot gratias effunduntur astra, ut sterilem alias regnorum fæcundent prosperitatem.* vel. *Coronarum orbis, Cives sibi gratias adsciscat necessum, quæ vix inquilinam severitatem patiuntur.* vel. *Regia hæc serta solas Charites redimire volent.* vel. *Nobiles regalium tæniarum arthæ, aris se debent.* vel. *Tutela populorum, fides coronarum.* vel. *Quo Sacramento obstringã se coronæ, Superis necesse? unde tot in illas gratiæ emanant.* vel. *Grandis coronarum sapientia, nihil de seipsis sapere.* vel. *Aurea coronarum Astra Delphico amant illustrari sole.* vel. *Rudis auri gleba, nec in coronis egenorum necessitates intelligit,* vel. *Onerant, non ornant, Regios diademata vertices, quæ nobilior prudentiæ non commendat gemma.* vel. *Ars imperandi optima, Palladijs debetur artibus.* vel. *Feliciores sunt coronæ, quæ è sub ferula Chironis,*

ronis, quam quæ è sub Malleo mulciberis veniunt. vel. *Grave coronatis capitibus suû aurum est, quod peritior non sublimat Mercurius. &c.*

A quæsito 3tio, ex circumstantia status Intellectualis, & moralis, id est, quæ ad rationem, mores, virtutes, vitia, &c. pertinent, dices. *Ideæ coronatorum Capitum non aliæ esse deberent, quàm publicæ prosperitatis;* vel. *Non caret suâ coronarium aurum ratione, quod non tam regias frontes, quàm regios intellectus, ámbit, & coronat.* vel *amentes Coronæ, non amantes populi.* vel. *Entia rationis sunt coronatis capitibus, desideria populorum.* vel. *Superbius metallum rarò in humile virtuosi Principis se demittit caput.* vel. *Imperiales vittæ frequens cum vitijs consortium ferunt.* vel. *Pluto ereptâ Coronarij auri glebâ, etiam in diademate stygem sapit.* vel. *Coronarum virtutes, eò gratiùs arrident, quo sunt rariores.* vel. *Insupportabilis est coronarum avarities, quæ non priùs exsatiari poterit, quàm omne regnorum emunxerit aurum.* vel. *Asylum egestátis, diadema liberale.* vel. *Certa sunt discrimina regnorum crimina, coronarum. &c.*

A quæsito 4tò. potentiam, seu actiones,

nes, & impotentiam seu passiones rei alicujus considerando, dices. *Quot malleos, & ignes patitur aurum, antequam regum capita ascendat.* vel. *Plurimum possunt coronæ, & eò sunt acceptiores, quo minùs posse volunt.* vel. *Impotens est Coronarum potentia, cui amor Civium non adstipulatur*, vel. *Vires magnæ Regum, plerumq; sunt virus legum.* vel. *Mirum est, tot plagis malleorum non sat coronas admoneri suorum discriminum.* vel. *Pallet coronarium aurum, ad avaras Principum mentes, ne rupium ergastulo emancipatum, scriniorum angustijs captivetur, &c.*

A quæsito 5to, ratione formæ, seu figuræ dices: *Non semper coronarum perisferia, rotam fortunæ denotat, ubi magna felicitas, maximis jactari solet periculis.* vel. *Supplicium est coronatis Ixionibus, aurea diadematum rota.* vel. *Sphæra hæc aurea quidni magna semper Numina exigat.* vel. *Cave ne Lachrymis populorum pro gemmis tuum gravetur diadema.* vel. *Plerumq; coronæ, à suis indurantur adamantibus, ita, ut nunquam ad preces Civium emollescant.* vel. *Malè à sua æternitatem coronæ auspicantur periferia, si non ad Cœli normam roten-*

tentur. vel. *Derogant perfectissimæ, id est sphæricæ coronarum figuræ, coronatorum Principum imperfectiones.* vel. *Scopus est infortuniorum, circulus coronarum. &c. Vide Method. primam, exemplum secundum, ad quæsitum 3tium, de formali causa.*

FONS TERTIUS.

De inveniendis adjectivis à sympathia, & Antipathia rerum.

CErtum est unamquàmq; rem, quæ substantivo exprimitur, habere vel aliquam proportionem, inclinationem, similitudinem, æqualitatem, convenientiam ad rem alteram, & hoc ego nomine appello, sympathiam; *vel*, improportionem, aversionem, dissimilitudinē, inæqualitatem, contrarietatem, disconvenientiam, & hoc apud me intelligitur per antipathiam. Itaq; cum ejusmodi sympathias, & antipathias rerum observaveris, florem adjectivorum & copiā reperies, ut docebunt subsequentia.

Res sibi sympáthicæ tacitâ virtute ligantur,
Vel quas agnato tenet inclinatio nexu.
Filius átq; Pater, Miles Dux, Servus Herùsq;
Sint exempla tibi; vel quas proportio condit.

Vt natura tropi docet & conformia quæq;
Vel quæ sunt similes, vel quas æqualis adunat
Conditio, vel quas facimus mentaliter unum,
Aut disconveniunt aliæ, quod cognita mundo.
Antipathia probat, vel cùm res certa repugnat
Se sociare rei, vel nullâ parte cohæret?
Respondentq; sibi, vel non æqualis habetur,
Vtraq;. vel prorsus contraria prælia spirant.

Quæratur 1mò. an substantivum, quod erit amplificandum, habet aliquam inclinationem, vel sympathiam ad aliquid, vel non? ut est naturalis inclinatio Patris ad filium, & è contra, jurisdictionis ad Judicem, militis ad Ducem, servi ad Dominum, discipuli ad Magistrum, Remigis ad Navarchum, &è contra. 2dò. An habeat proportionem, seu conformitatem cum aliqua re, ita magnus habet aliquã proportionẽ cum gigante, fluctus aquæ cum monte, oculus cum sole, quo reducũtur tropicæ translationes ob virtutẽ seu proportionẽ, ut dicimus ridere prata, fluctuare aristas &c. 3tiò. An sit res alicui similis? vel cui dissimilis? & hic modus plurimum conducit ad invenienda ut adjectiva, ita substantiva. 4tò. An sit æqualis, vel inæqualis, magnitudine, pre-

pretio; numero? 5tò. Quid habeat contrarium, quid repugnans? contrapositum? adversum?

EXEMPLUM PRIMUM.
De Eucharistia.

A Primo quæsito, ubi consideratur sympathia, quâ res una fertur, & refertur in aliam, dices. *Ancillæ species Dominum orbis Eucharisticum Principem stringunt, quantùm Majestati præjudicium? nisi ipsa adstringi voluerit.* vel. *Dulcis servitus illi servire, à quo servaris.* vel. *Quis intellectus Eucharisticæ Cereris non mancipetur compede? quâ ipsè captivatur Deus.* vel. *Infantem animum, id est primævæ innocentiæ, exigit Eucharistica Ceres, quem ubere ambrosio cœlis ablactet Alumnum.* vel. *Nutritio huic Eucharistico, debet Cives, astrorum Respublica.* vel. *In sinu plusquam Materno Eucharisticæ Cereris, educari volunt magna Cœli sidera.* vel. *Patricida es non parricida tantùm, qui illum de novo sceleribus configis, qui te Carne, & sangvine suo toties cibavit.* vel. *Totum Patrimonium nostrum est, in bonis Eucharisticæ Cereris.* vel. *Coronata suo serto Ceres Divina, virgines parit mentes.* vel. *Quod gratiarum Pater*

est, Eucharisticus Princeps. vel. *In hac exedra æternæ sapientiæ, sub Magisterio Verbi Divini, quis non proficeret discipulus.* vel. *Militares etiam manipuli, frumento Electorum, Eucharistico inquam Duci frugi bonæ animis contribuunt. &c.*

Aquæsito 2do, investigando bene, cũ quo Eucharistia habet proportionem in gratijs, largitate, decore, suavitate &c. dices. *Fontem gratiarum in Eucharistica adoraveris corona, quem tunc exhaueris, cum Oceani siccabis profundum.* vel. *Sanctiorem dixeris Nilum, sed qui uno hoc rotundo & patenti ostio, plures Cœli effundit ambrosias, quàm ille Ægyptus septem ostijs aquas.* vel. *Divina vitis, prosperiùs, quam Hesperidum pretiosi stipites, aureos Cælo alit fructus.* vel. *In aprico solis Justitiæ posita, quàm suavibus gratiarum gemmat liquoribus?* vel. *Quantâ Cæli gaza tenui hoc operitur velo? scilicet deprædari à nobis desiderat Eucharisticus Princeps, qui thesauros suos ita publice exponit, cum, & Cælum violenti rapiant.* vel. *Aurifodinam gratiarum in hoc Eucharistico, specierum nivibus tecto invenies monte.* vel. *Contractas Domini manus ne dixeris, etsi brevi fasciâ Eucharisticâ con-*

tra-

trahantur. vel. *Etiam parci ambitûs sede largissimus Princeps quia sui ipsius prodigus.* vel. *Quàm pulchro decore vernat Flos campi, & lilium convalliū, in humili cordis gleba?* vel. *favus mellis distillans in altari pro alveari expositus, quanta difluit gratiárum suauitate?* vel. *Ex hoc plano Eucharistico, quod hostium arenas debellamus.*

A quæsito 3tio similia, & dissimilia Hostiæ observando, dices: 1mo à Candore *Cándidæ genæ Eucharisticus Princeps, erubescentes ad sua mala osculo donat pænitētes.* vel. *Sacræ Cereris nivibus grande inest incendium, quo frigida hominū accenduntur pectora.* vel. *Lacte Eucharisticæ Cereris, innocentia cordium, Cælo enutritur.* vel. *Candida speciei Eucharisticæ bysso, amictus Princeps, quos invisit, Candidatos inaugurat* 2do àfigura; *Sphæra Eucharistica nunquam sine motu, aut movetur Lachrymis pænitentium, aut movet lachrymas.* vel. *In Eucharistico orbe geminum adoraveris, Cæli nimirum & terræ, quia Dei & Hominis sedes est.* vel. *Oculus est cœli, quo humanæ prospicitur infirmitati. &c.* Vide Method. 1mā, exemplo & quæsit. 3. de forma; & Method. 2dò fonte 2do, exempl. 1mò, quæsit. 6. de figura.

A simili vg. *Æthyopes animæ ad mensā hanc candoris plenam ne accesserint.* vel. *Atrum calculum in electione ad beatitudinem æternam non metuat, cui niveus hic Eucharisticus suffragatur.* vel. *Annum luctûs nigrâ distingvendum chlamyde, à candido Eucharistico sole non expectaveris. Rubus hic Eucharisticus ipso Deo accensus, qui de se asseruit: ego sum ignis, qui de Cœlo descēdi, nudato terrenis affectibus Moysi solûm patet &c.*

A quæsito 4to intuitu æqualitatis vel inæqualitatis quo ad magnitudinē pretium, numerum, dices.

In exiguo Eucharistiæ Cereris grano, quot, & quantos gratiarum acervos collegeris! vel. *Hic est Danielis lapillus, qui in montē excelsum crescit, ut nos Cælo admoveat, aut importet.* vel. *Gemma hæc inter lachrymarum procellas educata, impari licet lachrymarum pretio emitur.* vel. *Nummus hic argenteus, Cæli nonnisi ærario capitur, auro quovis regum præstantior* vel. *Nunquam venale Cælum, cui pretium assignari vix potest, hac tenui drachma comparatur.* vel. *Numerus Electorum, uni huic calculo se debet, asserente Domino: qui manducat carnem meam, &*

bibit

bibit sanguinem, vivet in æternum. vel. *In uno hoc puncto geminos cœli Polos, imò & geminum Orbis globum adoraveris &c. &c.*

A quæsito 5to, per cōtraria, repugnātia, contraposita dices. *Quis ex hoc fonte salientis in vitam æternam aquæ, Lethen oblivionis, aut lethum bibat !* vel. *Cœlestes hæ nives Eucharisticæ, incendium orbis alunt.* vel. *Cæca fides oculo Eucharistico perspicatior, plurimùm videt, dum nihil videt.* vel. *Sanctior hic panis, duros quantumvis lapides, in filios Abrahæ enutrit.* vel. *Flos Campi inter spinas, & tribulos cordium malè locatur.* vel. *Dulcis hæc Angelorum esca, amaritudinem contriti pectoris alit.* vel. *Ad candorem Eucharisticæ Cereris, denigrata atro Erebi carbone nomina, in Candidatorum cœli syllabum transcribuntur. &c.*

EXEMPLUM 2dum.

In Coronam Regiam.

A 1mo quæsito. *Non pigeat aliquando imperatrices ancillari coronas, dominis Civium affectibus.* vel. *Male coronarum dominium â sola populorum servitute auspicamur, quasi & servire commodis populi coronas non deceat.* vel. *Pudeat terrarum dominos, ser-*

vire plerumq; vitijs. vel. *Coronarum candore, velut Matrum ubere, ablactatur Regibus filia tranquillitatis, Civium fidelitas.* vel. *Sub Magisterio coronarum optimè proficit alumna regnorum æquitas.* vel. *Fertiles in pœnas, in beneficia steriles coronæ, non facilè suffocandos, tristi abortu, pariunt Principibus motus.* vel. *Pedagogæ longorum casuum patientiæ, sub ferulam discipulæ se submittant coronæ necessum, ut in suprema felicitatum classè proficiant.*

A 2do quæsito. *Orbis coronarum ne solitudini pateat, coronatas cumulatim admittit solicitudines.* vel. *Ostia gratiarum sunt Coronæ, eò Nili largitate potiora, quo digniùs pectora Civium, quam ille agros, fœcundant,* vel. *In quam parvo Coronarum circulo, tot regnorum digladiantur infortunia!* vel. *In brevi diadematum ambitu, quot ambitus? Corona solem ambiens nimbos minatur, quid à Regia coronati soles expectaverint, quam malorum, & ærumnarum tempestatem.* vel. *O quàm graviter purpurati Jxiones splendidâ hâc suâ excruciantur rotâ!*

A 3tio quæsito. *Æmula sphærarum Cælestium corona, Divinas in Principibus exigit mentes, quas redimiat.* vel. *In miti regalis*

galis auri fulgore, sæpe fulgur severum metuas. vel. *Reflexi ad Civium pectora coronarum clementes radij, aureos sui Principibus ingenerant affectus, ut auream sol in rupibus massam.* vel. *In gyro imperialis peripheriæ, quàm facilis vertigo capitum.* vel. *Serta hæc Regia, spinas sapiunt, quæ inter spinas adolescunt.* vel. *Tutiùs sæpe fuit sub pileum libertatis quàm sub regium diadema se conferre, ille, quia paritatis est insigne, suo non caret comitio, hoc quia pares odit, frequenter à fidissimis etiam destituitur.* vel. *Cybelen mallem in Regijs quàm Junonem videre, hanc auro, illam turribus coronatam, scilicet turres securitatis publicæ Asylum, aurum mentis avaræ indicium est.*

A 4to quæsito. *Cœlum Regij Atlantes, non coronas sucollatis, eo graviùs, quòd multorum salutem portet.* vel. *O! quàm grande malum, parvi licet ambitus coronæ.* vel. *Non sic Pelion Ossæ, ut coronatarum moles curarum suis onerosa bajulatoribus.* vel. *Vis æquale quidpiam coronis assignē? Ætna sunt, novis semper laborans æstibus.*

A 5to quæsito. *Coronarium aurum, militari ferro suum debet splendorem.* vel. *Lidius sunt coronatis mentibus coronæ, Coro-*

nis

nis adversitas. vel. *Aureis mentibus ignavam plerumq; inducunt otij vel voluptatis rubiginem, aurea mundi diademata.* vel. *Extra sphæram Regiam est, omnis scissura animorum, & partium.* vel. *Pallescit coronarium aurum, ubi ferrea capita circumambire cogitur.* vel. *Ecclypsantur fulgida coronarii sidera, ad umbrosa imperantium Nomina.* vel. *Augustæ ejusmodi Irides, tempestatis potius, quàm sereni sunt indices.*

FONS QUARTUS

De inveniendis adjectivis ex circumstantia loci, temporis, habitûs.

Ex hoc fonte non tam copiosa, quàm selecta desumi possunt adjectiva, ubi, scilicet consideratur loci dignitas, eminentia, depressio, an sit in plano, an inter colles, in sicco, an inter fluvios; unde Nomina propria montium, fluviorũ, deduci possunt in usum adjectivorum, tum fabulæ; historiæ loco deservientes. Imò licet propriè non competant, metaphoricè trahantur. Tempus observetur an sit vernum, an æstivum, brumale, an autumnale, & occasione cujusq; anni partis excurratur in varias circumstantias;

tias; quidquid veri, æſtati, hyemi, & autumno ſervit, ingenioſè applicetur ad propoſitam materiam ſeu propriè, ſeu tranſlatè; longitudo, brevitas, immortalitas, æternitas, memorabile tempus diſcutiatur: item fabulæ quomodocunq; de tempore factæ, ut aurea Saturni, argentea Mercurij, æerea, ferrea Martis ætas, menſes, lunæ, Anni ſolis &c: omnia uſui ingenioſo Oratoris ſervient. Per habitum non intelliguntur tantùm veſtes, & ornamenta hominis, ſed quidquid rem aliquam deſignat, & diſtingvit ab alijs, hinc inſignia Domuum, ut Stemmata, ſymbola, imagines, inſignia belli, ut aquilæ, clypei, ſagum, haſta, pharetra, gladius: inſignia pacis ut olea, ſertum, palma &c. & ſic in reliquis ſeu ſcientijs, ſeu artificijs, ſigna ornamenta, decora obſervabuntur, ut adjectivorum, ac inde ſubſtantivorum, tum ſenſuum copiæ conſulatur. Bteviter id carmine exprimo.

Quis locus, & quali rem quamvis limite ſtringat?
Planitienè magis, quàm vaſto colle ſuperbit?
Regius, an parvo contentus ceſpite vulgi,

Scru-

Scrutari liceat; tum temporis ordo per annū,
Ver, autumn⁹, hyems, & prædita messib⁹ æstas,
Æternum, spatione brevi superabile duret.
Pensetur, facilis quo crescat copia svadæ,
Ex habitu pariter, vestimentisq; feracem
Verborum seriem duces, insignia belli,
Ac pacis, Domuūq; dabūt proba munera pēnis.

Explicatio horum versuum per se patet, imò & jam superiùs est præmissa, unde ad exēpla statim descendimus.

EXEMPLUM 1mum.
De Eucharistia.

PRimò itaq; videbis, ubi est instituta SSma Euchristia? Hierosolymis. Mox Urbis hujus eminentiam, dignitatē, quod fuerit sedes Regia, monte Sion munita, quod fluvio Cedron alluatur, quòd fuerit ornata, electa, considerabis, & inde adjectiva, ex adjectivis sensus eximios formabis, mutando scilicet adjectiva in Substantiva, & circumstantias omnes Substantivorum considerando vg. *Eucharisticus Princeps, primum Hierosolymis triumphum in Candido panis vehiculo, pro eburneo Romanorum victorum essēdo, institu-*

it,

it. vel. *In Regia urbe ſuo ſe Calculo Candidatum Regni fecit.* vel. *Cui purpuram Regius ſangvis ſuffecerat, niveâ chlamyde ſatis habuerat, ut Regum ſedem occuparet.* vel. *Nunquā magis Cælo verticē admovit mons Sion, quam exiguo hoc Danielis an Euchariſtico lapillo, cui Deus inſculptus eſt, an quem Deus inſedit, auctus.* vel. *Cedrone alluitur faſcias Panis ingreſſus Infans Euchariſticus, ut ſcias, quod thermas Lachrymarum amat: O felix filia Sion, candido ejusmodi ſponſo* &c. Secundo advertes ubi aſſervatur Euchariſtia? in ara, ciborio, Templis, ſacello, unde diceres: *Ara tenuis bajulat quem cælum non capit.* vel. *Atlantem in ara venerare, quæ cælum, quia Cæli Dominum ſucollat, Vicarius Herculis humerus, hic, non ſufficeret, ubi cervix flectenda eſt in adoratione.* vel. *Ita ſemper aræ ſalus annexa, ubi arā ſalus æterna inhabitat.* vel. *Altare ipſe occupat Euchariſticus Agnus, ne taurorum, aut hircorū ſordido cruori pateat.* vel. *Incubat hoſtia Deus altari, ut tu incumbas ejus amori* vel. *Quam compendioſum ad aſtra iter? ubi uno hoc uncto lapide Deus à te diſtat.* vel. *In petra nidificat, Aquila magnarum alarum &c.*

A tem-

A tempore; *æternitatem in hoc circulo orbis Eucharistici adora, principio & fine beatitudinis carente.* vel. *Ab agno hoc immaculato, potius quàm Phryxeo Zodiaci, ver gratiarum expectaveris,* vel. *Auream messem, non jam caperato Saturni supercilio, aut Herculeo leoni, sed Leoni de Tribu Juda debemus.* vel. *Glaciata vitiorum hyeme corda hominum, in auge summæ beatitudinis Sol Justitiæ Eucharisticus positus, facile in aquã vitæ salientem liquefacit.* vel. *Magnorum fructuum hortus conclusus, Eucharisticæ Cereris sepibus circumdatus Princeps autumnari quosvis mortalium animos vellet, id est fructibus salutis abundare.* vel. *Obstupesce cœli miracula! in momento, sæcularem felicitatem, imo æternitatem in obulo Eucharistico abliguris, &c*

Ab habitu, *vestitus Eucharisticis speciebus Deus, quot sibi investit vasallos? qui excessivo ejus mancipantur amore.* vel. *Vt rarior candida Divinæ Cereris chlamys, ita nostro Purpuratorum Principi gloriosior.* vel. *Hoc stemmate cœlum insigniri voluit, quo Empirei Cancellaria æternæ felicitatis sigillat decreta.* vel. *Coronatas Aquilas, in Aquila magnarum alarum, Regios Leones in Leone de* Tribu

Tribu Juda, augusta lilia in Flore campi, & si quæ adhuc dari possunt regnorum insignia, in hoc insigni, astrorum clenodio, massæ Cereris pro cera impresso spectaveris. vel. Ut Principem pacis scias, albenti panis togâ induitur Deus Homo. &c.

EXEMPLUM 2dum.

De Corona Regia.

A Loco. *Montibus eruitur, ut mentes Principum suâ mole obruat Coronarum gleba.* vel. *Celsos natales suos è rupibus, in regnorum transfert fastigia, quasi idem esset colles onerasse, quod colla dominantium.* vel. *Mãcipatum in rupibus coronarum aurum mutavit,. non effugit captivitatem in ærarijs Regum* vel. *Tago aurum, Gangi aut Erythræo in spolium coronarum ademptæ gemmæ, nativa flumina per scaturigines lachrymarum populi innatare amant.* vel. *Aliquid facilis, aut non duri à coronis expectares? quibus rupes mater & sedes est &c.*

A tempore. *Malè æternitatem sibi in coronarum peripheria ominantur Principes, quæ momento temporis sæpe consumuntur.* vel. *Serenum coronarum mane, pluviosam frequenter portendit vesperam, & innubis*

Phosphorus, tristi obductum tempestate hespe-rum. vel. *Adi Regum Mausolæa, ut pro Pa-ctoli arena, tot victorum orbis cineribus fe-rales implere possis clepsydras, qui æternitatẽ coronatis numinibus appingis, illæ tibi men-suram ætatis Principum declarabunt.* vel. *Breve semper est ver florentium regnorum.* vel. *In Augusto Decembrem, sub syrio fune-stam hyemem quoties experta est aurea-Re-gnorum messis!* vel. *Longo regnavit tem-pore, qui multorum vixit commodo.* vel. *Aureæ coronarum Cyfræ sceptrorum virgis unitæ sæcula numerabunt, si eis unitatem a-nimorum adjeceris. &c.*

Ab Habitu. *Ornamenta regiorum capi-tum diademata, onera sunt populorum.* vel. *Insigne hoc regium insignes alit solicitudines.* vel. *Imperiorum mala, rarò in aureos exu-berant fructus.* vel. *Habent suas Purpuræ tineas, habent sceptra cariem. quibus corro-duntur.* vel. *Sub Augusto diademate acutis-simos plerumq; repereris sensus. &c.*

METHODUS 3tia.

De tertio fundamento comparandæ elo-quentiæ ex circumstantia verbi.

CONquisitis acutâ ingenij combinati-one

ōne ſubſtantivis & adjectivis, reſtat verbum, ut integra fiat oratoria conſtructio; ideoq; ſecundum actionem, & paſſionem aſſumpti ſubſtantivi verbum activum, & paſſivum conſiderandum eſt, quod non tantùm propriè ſed ttanſlatè etiam, ſeu metaphoricè applicari poteſt. Undè conſiderari debet, quid agat, quid patiatur res, de qua agitur; deinde verba mutantur in ſubſtantiva, & ex circū-ſtantia ſubſtantivorum formentur varij ſenſus juxtà ſuprà dicta præcepta.

Quidquid agit, patiturq; tuo res preſſa labore,
In ſuadæ pretium coges, verbiſq; ſolutis.
In ſubſtantivum non obvia nomina tantùm,
Sed grandes ex hinc ſenſus formare licebit.

Hic modus, quia in alijs ſuprà poſitis tranſcendentaliter reperitur, brevi hic demonſtratur exemplo.

EXEMPLUM unicum.

DIcas Euchariſtiam activè, producere gratiam, Sanctificare, virtutes alere, mederi malis, progenerare virtutes, coronare merita. &c. Hinc: *Gratiarum Patriam in orbe Euchariſtico habes, quas illic in uſum producit hominum.* vel. *Largiores*

res in hoc Electorum Frumento, quam in Cornucopijs Charites. vel. *Quantas agit in nos gratias Euchar. Princeps? ut ſic reddat gratioſos.* vel. *Nemo Sanctus niſi de Pane hoc ſancto libaverit.* vel. *Hoc certè calculo in Electorum beatitudinem promoveri ſacilè eſt.* vel. *Officinam omnis ſanctitatis intrà ſphæram Eucharisticam adora, ubi reprobi conflantur in probos.* vel. *Alimentum Panis Eucharistici elementum eſt virtutum.* vel. *Neſcio quæ fames probitatis hoc obulo non exſatiaretur.* vel. *Sancta Ceres, quod virtutum pignora ſidereo ablactat ubere.* vel. *Medelam tuæ infirmitati in hoc facilè repereris pharmacopolio.* vel. *Non virginum tantùm, ſed & omnis probitatis Genitricem in Divina ut Cerere, ita vite obſerva.* vel. *Hoc ſertum eſt, quod exantlata decertantium, in arena meritorum, cohoneſtat capita. &c.* Paſſivè inferres Euchariſtiam Dei manu Omnipotenti formari, fabricari, condiri nectare cœleſti, ab hominibus manducari, teri molis dentium, nec atteri, contrectari non tangi, flagellari noxis hominum, excruciari novâ poſt Iudæos lanienâ. &c. Mox hæc eadem verba mutanda ſunt in ſubſtantiva, inde per

per modos ſupradictos ducenda ſubſtantiva contrahendæ circumſtantiæ, cõtraria, ſimilia : quæ copiam facilè ſuppeditabunt ut verborum, ita ſenſuum. *vg. Quam pulchra Omnipotentis dexteræ fabrica, in brevi compendio Euchariſticæ Cereris, ſed nonniſi oculis fidei ſpectari poteſt* vel. *In parvo orbe grandis Machina quæ Deum capit.* vel. *Adhuc tibi non ſapit Cœleſti conditum nectare Divinius hoc Libum?* vel. *Molas dentium non timet Ceres hæc ſancta, quia atteri non poteſt, quantumvis teratur.* vel. *Iterumne extrà circumciſam Sion, novum laniena ſcelerum, Agno huic inocenti apparat macellum?* vel. *Non ſatis ſub Euchariſticis ſpeciebus latet ? ut ibi quoq; Tyrannidi tuorum reatuum pateat.* &c.

Comparatis ſufficienter ſubſtantivis, adjectivis, verbis, ſupereſt difficultas, quomodo illa ſunt combinanda, quæ plerumq; erunt diverſiſſima, repugnantia, contraria, unde de hoc agemus in Athomo ſecunda, quæ ſit.

ATHOMUS 2da.

De modo combinandi ſubſtantiva, & inde formandis ſenſibus.

AFfluere verborum copiâ, necdum id Svadæ dignitatem meruit, ſi indigeſta moles debito in membra, & periodos non coaleſcat nexu. Ut ædificium architectrix commendet amuſſis, non ſatis eſt conjeciſſe lapidum ſtruem, cumulos arenæ, lignorum acervos apparaſſe, niſi hæc in unam ope calcis aut Aſſyrii bituminis cogantur compagem. Idem conclave eloquentiæ ſtudium exigit. Cõbinanda ingenioſo mentis artificio quæſita materies, remotiſſimi etiam trahendi in uſum proprium ſenſus, ut non inacceptam efficiant oratorii ſermonis ſtructuram. Unde labor hic maximus ſcire, dextreq; combinare poſſe ſubſtantiva, & verba quæ comparaveris, pro quo ſit.

METHODUS UNICA.

Qualiter res, ſenſus, & verba diverſiſſima combinari poſſint.

PRo felicitate ingenii unusquisq; varios, & ſubtiles modos combinandi habere

bere poterit, qui haud facilè circumscribi patiuntur, pro captu tamen meliori eorum, quibus necdum par est in tantos ausus robur, submitto aliquot fontes cõbinationum, quos sequentibus exprimo versibus:

Res varias postquam præscriptâ legeris arte,
Scire juvat, quali conjungere singula lege.
Expedit; hinc natura tibi sit cognita vocis,
Vnde coacerves sensus; contraria nec non
Sympathici nexus, nomen conforme, priori,
Pensari meruêre probè; jam detrahe, quod vox
Innatum volet esse sibi, jam saniùs adde
Quo caret, aut distincta liga, distingve ligata,
Aut certâ ratione nega, quod convenit illis,
Affirma, nullo quod scis ex ordine necti.
Cætera sufficiet liberatæ gloria mentis.

Hic habes aliquot fontes, seu modos combinandj diversa, quod ut intelligas consequentibus insiste.

FONS PRIMUS.

OPtimus combinandi modus, ex consideratione naturæ substantivi, quod amplificare proposuisti ac illius, quod ex adjectivo formatum est, juxta eorum significatonem addendo adjectiva, ac demum verbum, ut integra fiat constructio.

Pulcherrima verò illa elocutio, ubi adjectiva utriq; substantivo deservientia reciprocè permutantur. vg. si assumeres vocem, *libertas* adderes ipsi adjectivum dotata, inde substantivum dos libertatis, doti adderes aurea, libertati inæstimabilis, quæ permutares adinvicem, tandem ex natura dotis, quod exsolvatur viris, quod redimatur, subjungeres verbum hoc modo: *Inæstimabilis aureæ libertatis dos, magno semper viris redimenda est sanguinis pretio.* vel. Si diceres regnum floridum, inde regnorum flos hoc ita cõbinares: *Purpuratus vernantium regnorum flos, svavi populorum ut oculos, ita & mentes recreat amænitate.* vel. *Augustum florentium regnorum ver, quid nisi mites populo spiret felicitatis Ethesias.*

Plura hujus rei exempla, in exemplis suprà positis.

2dus.

NOn minùs aptè combinari poterunt diversa substantiva per modum definitionis, unum alteri applicando, & statim rationem definitionis ob quam de alio asseritur subijciendo. vg. Rex & Sol sunt

ſunt diverſa, hæc ita combinabis : *Coronati regnorum ſoles, Sereniſſimi Principes, ut infimas egentis populi valles, ita ſumma trabeatorum nominum faſtigia reflexo innubis clementiæ perluſtrant radio.*
Vide ſuprà in exmplo.

3tius.

A Contrario, ea, quæ tuo ſubſtantivo ſunt omninò repugnantia, oppoſita, contraria, ingenioſâ ratione connectendo. *vg.* *Nè ſervile Tyranni ferret jugum, ſerro cervicem, libertate animi fretus ſubmiſit.* vel. *Ipſa libertas ſervitus eſt ijs, qui ut liberos ſe declarent, nulli non vitio ſerviunt.* vel. *Diem nocti, tenebras luci priùs ſociaveris, quàm probitatem in commercium reproborum adduxeris.* Vide ſuprà Exempl-

4tus.

PRopter ſympathiã ſimilitudinis, proportionis, relationis alicujus, ſubſtantiva non malè ad invicẽ coaleſcunt, & ſenſui formando deſerviunt. *vg.* Solem ambiens corona, ſignum eſt tempeſtatis, ſimilis coronæ regiæ, quæ lachrymas civibus exprimit, unde diceres : *Corona*

solem ambiens nimbos, Regum capitibus e-minens, lachrymarum minatur procellas. vel, *Nutritio virtutis ubere, quid nisi probitatis educentur alumni.* vel. *Facem soli, nostram tenuitatem luminosæ indoli tuæ exæquare, idem est.* Vide exemplum.

5tus.

PEr conformia nomina, seu per annominationem substantiva facilè combinantur. *vg. Elementa virtutum, alimenta sunt gloriæ.* vel. *Augusta fames, Augustorum ambire famam.* vel. *Sæviendum est, aut serviendum.* Vide exemplum supra.

6tus.

PEr figuram commutationis, traductionis. *vg. Ignotæ virtutis, non ignotus virtuti.* vel. *In libertate vitiorum servus, in servitute liber à vitijs.* vel. *Alterno fœdere Religionem Princeps servat, Religio Principem.* vel. *Pessima regendi norma, ubi dux ab agmine ducitur, non agmen à duce.* vel. *Innoxas sævijt non in noxios &c.* Vide Exempl: supra posita.

7mus.

7mus.

PEr comparationem, historiam vel fabulam ingeniosè ad tuum sensum trahendo. *Phryxeo ariete prosperiùs ver gratiarum aperit Eucharisticus Agnus.* vel. *Heroica virtus, ad æmulam crescit fortitudinem; ut Achillem habeas, Hectorem obijce.* vel. *Frangitur Capuâ Annibal, illecebris mascula indoles.* &c. Vide suprà Exempl.

8vus.

PEr separationem eorum, quæ sibi sunt unita. vg. *Rex sine urbibus, dives sine auro.* vel. *In sua felicitate minimùm felix.* vel. *Debellator hostium, non evaginato ferro.* vel. *Soli lucem ademeris, virtuti pretium.* vel. *Atticæ noctes, mentis tenebras non amant* vel. *Eucharisticæ Cereris nives, desolatorum cordiũ hyemem oderunt.* Vide suprà Exemp.

9nus.

PEr unionem disparatorum. vg. *Adora virtutem Omnipotentis! cælum in terram secum transtulit, ut cælo terram inferret.* vel. *Ignem aquis maritavit, qui ardentibus amoris Divini flammis, lachrymas junxit.* vel. *Nox erat, & claro fulserunt lumine lychni, affinem nocti, quis negct esse diem?* Vide exempl. superiùs. Cum

10mus.

CUm augentur res parvæ, magnæ diminuuntur. *vg. Grande diluvium orci, una pœnitentis pupillæ stilla.* vel. *Regnum extrà te nè quæsieris, qui tibi imperat, in animo est.* vel. *In parvo orbe Eucharistico, divitias mundi repereris.* vel. *Aureos fortunæ fructus dum licentiosius carpit, fortunam amittit.* A diminutione. *Quid in aulis magnifici expectaveris? præter magnificum nihil.* vel. *Angustior est augusta coronarum sphæra, quàm ut curas cæli capiat, dilatatur in ambitum, contrahitur in Polorum officium.* vel. *Rara est magnitudo, quæ se in humili declivio non spectavit. &c.* Vide exempl.

11mus.

CUm negatur alicui, quod propriè convenit, vel affirmatur, quod disconvenit. *vg. In homine nihil hominis spectaveris, aut Angelis, aut Numinibus paria aggreditur.* vel. *In omni felicitate nihil felicius, quàm sprevisse felicitatem.* vel. *Virum prius, quàm infantem, Ducem quàm tyronem credideris.* vel. *Flos in vultu veneris odore bonæ famæ caret.* vel. *In castis nivi-*

nivibus Eucharisticæ Cereris, nihil gelidi, ardeat, ut tu inflammeris. &c. Ab affirmatione eorum quæ non conveniunt vg. *Omne mihi natale solum, de terra nato.* vel. *Ignibus ignes extinxit, qui flammas cupidinis, pyra coërcuit.* vel. *Gravis sanè penna est, quæ Heroum merita deprimit.* vel. *Saturis illecebrâ mundi, non sapit Ceres Eucharistica.* Vide exempl.

12mus.

PEr paradoxum, hoc est per effatum inexpectatum, quod non videtur simpliciter competere, competit tamen secundùm reflexionem ingeniosam *vg. Hæres coronarum antequam natus, in utero imperium cæpit, quod primogenito debetur.* vel. *Coronarium aurum, ferrea plerumq; sæcula parit.* vel. *Innocens Agnus Eucharisticus, Leones progenerat, quorum fortitudini, stygius impar, &c.* Vide exemplum.

13tius.

A Causa efficta, cum alicujus rei datur ratio, non quæ propriè convenit, sed quæ artificio ingenij confingitur. *vg. Quæris cur ferrum, tàm sit in homines ferum? quas in incude accepit, in nobis vindicat plagas.* vel. *Malleorum ictibus regiæ erudiri*

poſſent coronæ, quot malorum flagellis pateant. vel. *Vt invitos etiam hoſtes loqui tua compelleres facinora, jugulos eorum victore gladio aperuiſti.* vel. *Quàm ſubtile Divini amoris conſilium! Pane Euchariſtico Deum obtexit, ut in uno obulo Cælum cum Deo abligurires. &c.* Vide exempl.

10 quartus.

A Numero, occaſione ſcilicet numeri acutè varios ſenſus combinando. *vg. Ad voluptatem Patriæ non ſatis eſt, te ſemel natum fuiſſe, millies naſcêris, in mille nepotibus.* vel. *Vnus Hercules gemino non ſuffecit hoſti, tibi uni tot legionum centuriæ ſuccubuêre.* vel. *Bis felix, ſemel cum ad coronam vocaretur, ſecundo, cum vacaret à corona.* vel. *Primus ab utero, ràro ſecundus.* Vide exempl.

10 quintus.

A Gradibus comparationis, poſitivo, comparativo, & ſuperlativo. *vg. Brevem vitam natura fecit, culpa breviſſimã ars nullam.* vel. *Felicem dici, vix alicui licuerit, nemini feliciſſimum.* vel. *Dux in toga bonus, quo in ſago nemo melior, optimum purpura faciet.* Vide exempl.

Cum

16tus.

CUm ſubſtantiva diverſa, & ſibi oppoſita, per aliquam proportionem coadunantur. vg. *Humaniùs eſt mentis acie vincere, quam ferri.* vel. *Gladio manus dedit, ut ſcſptro aſveſceret.* vel. *Sub ſertis Apollinaribus frons probè exercetur ad coronas.* vel. *Eucbariſticus Agnus, bellico ariete fortiùs & proſperiùs, Tænarias expugnat portas.* Vide exempl.

17mus.

AB allegoria, cum ex occaſione ſubſtantivi, propter aliquam proportionem, & ſimilitudinem aſſumpti, ſenſus formatur illi ſubſtantivo congenitus admixto, ſenſu propoſito, ſubſtantivo, proprio. vg. *Navigium Reipubl. ſeditioſa diſcordantis populi tempeſtate jactatum, facilè ad ſcopulos inſortuniorum impingit.* vel. *Sub Candido Eucbariſticæ Cereris velo, quis non ſecurus æternitatis portum ingrediatur? ſæviente etiam ventoſo illo orci principe, qui ſemper latera aquilonis ſedem ſibi præfixerat.* Vide exemp.

18vus.

18vus.

PLures pro fœcunditate ingenij modos quiſq; ſibi invenire, & ſatis eſt mihi indigitaſſe viam. Nihilominus, ut oſtendam, quàm facilè hinc formari poſſit nō unius tantùm ſententiæ, ſed orationis contextus, ſubijcio Exempla, ubi videre poteris, quomodo ſubſtantiva per ſupradictas methodos & fontes conquiſita, in unum orationis corpus artificio intellectûs cogantur.

EXEMPLUM 1omum.

Euchariſticus Panis, non niſi ſaturis gratiæ proritat famem Mortalibus.

SAturos Cœleſtis gratiæ Divinior altaris menſa exigit, quos reficiat. Raró Euchariſtici Numinis famem, vacuus ſupernis favoribus, oppletus verò mundi illecebris, cujuſpiam ſtomachantis Pelidæ feret appetitus. Sed ô! quàm nimis avarus ille helluo eſt, qui præter conditum ſvavi obſonio Deum, aliquid ſæcularis voluptatæ eſurire poteſt. Parvus, ſed infiniti valoris obulus hic, ſi in projectis in præceps abdominis non ſufficit mortalibus, certè nec aureis Vitellij alicujus ſatu-

ſaturabuntur edulijs nec regiâ opulenti, at ſemper famelici Midæ, explebuntur offâ. Clauſa arctioribus ſacramentalium ſpecierum limitibus immenſa virtute Dei latentis Ceres, quem Tantalum non exſatiaret ? ut adhuc præter lautum hoc tragemma, aut fugacia regnorum hianti ore captaret poma, aut, quod, omnẽ penitus Cæleſtis ferculi ſuffocat eſuriem, rariores cum integro fluxarum opum pelago abliguriret auratas Sané orbi in cibum ſufficit, orbis Euchariſtici Incola Deus. Credis ? Triticea Divini epuli ſphæra æternitatis ſymbolum eſt, quæ tot Lumina æternitati enutrit, quot beatâ ſui fame ineſcat nomina. Quis verò Regiam Ieſſæi Principis menſam ? quis angelicas dapes, plenus nitore ciborum ſæculi ? quis Divinum illud convivium infarcitus volupiæ ferculis, offuſus illecebroſæ cupiditatis mero, ingurgitatus Circææ amyſtidis toxico ideoq; absq; ulla orexi acceſſerit? Coronata Deo, & ſuo orbe Divina Ceres, ſola in regno pectorum imperare, ut ſol in aſtrorum dominio lucere volet, quæ eô manſvetior eſt, quô potentior, nec patitur corrivale tenebra-

nebrarum Principis ſolium, niſi ut toties invictâ expugnetur virtute, quoties ſuperbas erexerit criſtas, uncta frumenti Electorum pingvedine, quidni exangvē, pereuntium fame animarum caſtiget maciem? ſanctioris Myſtæ hæc victima, quovis taurorum adipe nobilior, alias tantū non ſaturaret mentes, quas faſtidioſa æternæ ſalutis dementat nauſea. Scilicet verbo æternæ Sapientiæ genita, Euchariſtica Ceres, filios felicis ſententiæ generat. Amoris Divini, non furni ignibus excoctus Panis hic ſubcinericius, quemcunq; repererit in via ſalutis, corroborat Thesbiten. Sed Angelicæ mentis ſit neceſſe, qui Angelorum cibum famescit. Humanæ conditionis Euchariſticus Princeps, nihil hominum, in hominibus inveniſſe gaudet. Me audi! ut in hoc fonte vitæ emunderis, mundum exue. Virgineam mentem, id eſt, nulla ſæculi illecebrarum corruptam arrchâ, exigit Divina vitis, quæ ſola virgines germinat. Quid? beatitudinis, non tritici maſſam, in Dei Hominis delibas cibo. Azymum ſcias panem, qui præter lachrymarum & effuſi cordis undam, penitus

nitus nihil, quod mundi est, admittit. Sementis optima Cœlestium gratiarum, maximæ frugi æternitati producit germina, Cœlum terrestre in hac triticea sphæra adora, qui Cœli desiderio caperis, imò & fortunæ rotam hic habes, quem infelix felicitatum ambitus in vertiginē agit. Sanè ad hunc, optarim, totis viribus collima circulum, in quo pro meta, Deus est. Orbe suo vincta Eucharistica Majestas, orbis deliciarum compendium, nihil est, quod tibi non suppeditet. Proinde in saturitate gratiæ famelicus Dei; in fame Dei satur esto gratiæ, quisquis ad salutare hoc evocaris Aræ conviviū.

Amplificatio hæc ex solis substantivis per primam Methodum quæsitis à causa efficiente, materiali; formali & finali desumpta. Vides, quis usus hujus reflexionis? plura exempla subÿciam in tomo secundo praxium hic tamen sit.

EXEMPLUM 2dum.

Eodem modo, ut supra à causis: Coronæ graviter premunt Coronata Capita.

RArò quis Principum fortunæ suæ, aut coronæ faber, ita prospero fruetur

imperio, ut inter malleum & incudem periclitantis vitæ non hæreat. Rudium opus Cyclopum, diadema regium, rusticantem plerumq; pervicacis fortunæ barbariem, in perenne sibi adsciscit consortium. Quid? grandis Mulciberejæ frontis sudor, auri coronarij superbia nõ minoris suos portitores admonet sudoris. Durè fabrilibus malleis flagellata, frequenti coronata capita ingruentium malorum, pro malleis, flagellat ictu. Immane vulnerat, ab immani sterope vulnerata. Nec puto ita ferociter, ferreas Princeps hoc metallum carpsisse Vulcani forcipes, ut acri Regum vertices carpuntur curâ. Sint mollium quantumvis Ethesiarum leni conflatæ aurâ imperiales coronæ, sævam tamen infortuniorum Æoliam in Augusta secum deportant tempora. Scintillanti asvetæ foco, intolerabili Principum mentes accendunt negotiorum æstu. Scias, inquam, regale aurum fulgidam esse operosi solis prolem, ideoq; sereno suo, tristem semper imbrium, tempestatumq; minari hyemem. Et certe splendida ejusmodi tæniarum præmia, graviùs sæpe fatali mole

mole suâ imperantium affligunt vertices, quàm recreant, plus onerant, quàm ornant, quæ cum insignia regnorum dici audieris, signa ingentium periculorum credas, necesse. Decent emeritas frontes, sed unà pati edocent. Meritò sagacior natura dignius hoc metallum grandibus oppressit montibus, quod fermè semper tot orbi secum incommoda confert. Terræ visceribus extractum, in omne se malorum eviscerat germen; è vena terræ excavatum, venam aperit omnium infelicitatum Regio sangvini. Multis optata, an ambita aurea coronarum massa, raro in aureos Vitellij panes, sæpiùs in obolum Belizarij suffecit. Quid inserta fulgentibus toris gemmarum portendit grando? nisi quod lachrymas, pupillæ procellam, quævis secum deferat maxima fortuna. Quid virens ambiguo igne smaragdus? nisi quod herbam plerumq; pro laurea & flore regnorum, Augustus inimicius fatum porrigat manibus. Durus est adamas sibi, durus est coronatis capitibus quæ insidet. Cruori hircorum, quo mollescit, assvetus, sangvineos purpuratarum frontium ambit

ſudores. Vitrea ut communiter omniũ, ſic maximè Auguſtorum fortuna, facile ſuo læditur, aut ſcinditur adamante. Neſcis? auream diadematis peripheriam innumera circumſtare pericula? in hoc ſane imperiali circulo, metam & centrum conjuratæ ſibi fixere adverſitates. Sphæra hæc Regia non tam luminum quàm fulminum ſedes eſt, minacem Saturni vultum, citiùs quàm ſerenam Jovis frontem, crudelem irati Orionis enſem quàm mite Ariadnes ſertum circumfert. Cœlo excluſa novercans ſortis humanæ Dea in coronarum ſiſtemmate Cœlum ſibi fabricat, an occupat? unde domeſtica ſunt magnorum imperiorum infortunia. Vix aliquis Regnantium eſt, quem circulus hic vitioſus vertigine ſua non raperet in præceps. Purpurati Ixiones, rotam, qua excruciemini, ambitis! Diſce, quantus es in cineribus tuis avare regnorum prædo Alexander, quàm ſemper coronata capita, graviter premant Coronæ. *Plura exempla vide in tomo ſecundo, praxium.*

ATHO-

ATHOMUS 3tia.

De amplificatione athoma, seu unius sententiæ in plures sensus.

HActenus docuimus, qualiter una vox sententiam, & integrum sensum excrescere possit, nunc studij nostri ostēdere, quomodo una sententia, in aliquot periodos produci possit, quem modum amplificandi, ego amplificationem athomam seu, minimam voco. Unde sit.

METHODUS PRIMA.

De modis formandæ amplificationis athomæ.

EX minoribus athomis metuenda coadunantur fulmina, stillatim decidens pluvia, alveos implet, parva sementis, exuberat in opimam messem. Quidni unica sententia in contextum oratorium ascendat? sed ad eam dignitatem, non nisi certis gradibus amplificationum pelagus aggredimur, cognoscenda est natura, & divisiones amplificationis. Definitur ergo amplificatio in communi, quod sit inventio verborum, & sententiarum augendæ orationi deservientium.

Ex hac definitione patet aliam esse amplificationem unius vocis, de qua jam egimus, aliam sententiæ, de qua ad præsens. Et hæc amplificatio sententiæ triplex est: athoma, minor, & major. Athoma amplificatio est, cùm una sententia in plures identicos sensûs protenditur. Minor est, quæ fit per argumentationes, ut Syllogismum, Enthymema, Collectionem &c. Major est, quæ constat exordio, propositione, narratione, confirmatione, & epilogo; de his duabus postremis alibi, hic de infima, seu athoma agemus, ut à parvis ad maxima, ab imis ad summa assurgamus; quocirca fontes aliquot huic usui ostendo accomodos.

FONS 1mus.

De amplificatione Athoma per Definitiones conglobatas.

Nō dicimꝰ hic de definitione Dialecticа, quæ genere & differentiâ constat, & unâ brevi periodo absolvitur, sed de definitione oratoria, quæ descriptivè varias proprietates simul explicat, & hæc alia propria, quæ ex natura rei desumitur,

tur, alia metaphorica, quæ à ſimilibus deducitur. vg. Acciperes in materiam amplificationis hanc ſententiam: *Pax optima rerum*; ſic per difinitiones conglobatas augeres. Vis? ut publicæ pacis, & quietis amænitatem juſtâ tibi depingam effigie? baſis eſt civilium fortunarum, regnorum ánima, Principum cor; eſt ſummum Reipublicæ bonum, nutritius vigor, cui ſuam imperia debent magnitudinem, proſperrima opum & populorum auxeſis; eſt ſpecies pulcherrima mundi, nullo vitiata colore pulchritudo, objectum omnis felicitatis, eſt dulciariũ egeſtatis, ſvavis odor populi; eſt altrix honorum, proſperitatum Mater Magiſtra omnium ſtudiorum; eſt tutela coronarum, libertatis conſervatrix, manuductrix gloriæ, obex ærumnarum ſyſtēma adverſitatum, centrum bonæ ſpei, Polycratis diarium, ætatum longa beatitudo. &c. Ecce quantum brevis ſententia excrevit? quod ſi ſingulis definitionibus addetur ratio, cur ita res aliqua denominetur, quo non aſſurgeret oratio?

FONS

FONS 2dus.

Per enumerationem partium.

AMplificatio per enumerationem fit, cum aut totum in ſuas partes, ut navis in proram puppim, clavum, carinã, vela, antennas, tranſtra, &c. aut actus aliquis in circumſtantias antecedentes & conſequentes, aut cauſa generalis in ſuos effectus, aut genus in ſpecies dividitur. vg. *Nemo in terra beatus*, diceres: Quem mihi agraria fæcunditas Quinctictium, quem militaris caſtrorum proſperitas Cæſarem, quem ſolia Cræſum, quem opulenta æraria Policratem, quẽ vilius mapale Irum, quem oppida civẽ. quem Curia Judicem, quem Senatoria curulis Optimatem, quem auguſta palatia Principem obtulerint? qui expers omnis adverſæ ſortis pervicaciæ, fixã, extra Empyreum, intra mundi illecebras, & vaſta orbis latifundia occuparet beatitudinem.

FONS 3tius.

Per antecedentia & conſequentia.

SEnſus hujuſmodi amplificationis per ſe patet; obſerventur alicujus ſingula-

ris

ris actûs præcedentes causæ, modi, circumstantiæ, & pariter inde consequentia seu damna, seu lucra. Sit in exemplum sententia: *Belli metus enecat orbem.* Hinc diceres: A turbido Martis astro quam expectaveris bonæ spei malaciam? defixæ in stadio belli hastæ, sub hastam oneratas Civium sortes cogunt. Æs militare tubarum, nænias æri publico occinit, & dum acuit heroum animos, hebetat colonorum studia, qui alias indefesso conatu cumulandis insudarent opibus. Evolutæ in àéra bellatrices aquilæ, dubijs vela prosperitatis publicæ committunt ventis, imò sæpe magis prædæ civium, quàm hostiū impendent. Quid murmur illud lituorum? inflata cornua, roboantia tympana aliquid non ferale sonent? gemit terra sub manipulis legionum non tàm ferrea Martis testudine, quàm lentis, sed intolerabilibus damnis pressa. Ita sua germina semper parentibus noxia! lucrum belli victoria, laureæ, serta perennia, hostium manubiæ? at quotus est Pellæus Tyro, qui vinci nesciat? Imò si favens cesserit alea belli, quod lustris redimendus exhaustorum civium, desolatarum urbium luctus? &c.

FONS 4tus.

Per reſolutionem cauſæ in ſuos effectus.

HAbe pro exemplo gnoma; *Auri vitioſa libido.* Hinc diceres: Midæ famem tibi imprecor, quisquis es mortalium, cujus avaram orexim aurei montes explere non poſſunt. Illudnè tibi metallum arridet, quod natura in viſcera terræ, infrà univerſi pulchritudinem abjecit? Quod à coronis pretium accipit, illud in coronatorum capitum vitijs deponit. Non ita graves populus experiretur Principes, ſi gleba hæc aurea pondus non adderet, aut non amaret. In aureo Cleopatræ poculo, quantam Antonius bibit regnorũ jacturam? nùm ideò ſacrum? quia in tripode Apollinis cultum? Pluto judicet, cui ut Apollo ita aureus tripos in ſpolium ceſſit. E Ditis ærario abreptum, Ditem petit aurum, cave, nè & te Diti mancipet. Credis, quod tui tot aureorũ nummorum acervi te illo è mancipatu redîment? Imò in bilance diſtricti Judicij Divini tuo damno venient, cum naturali ſuo te pondere uſq; ad centrum

Heri.

Heri. ſtygis inquam Domini rapient. Aureum Paridis pomum, neq; in manibus Dearum pulcherrimæ virus ſuum depoſuit. Aſiam Europæ, Græciã Phrygiæ, Mycenas Ilio commiſit, nec priùs belli faces extingvi patiebatur, quàm tot regum patriam in cineribus vidiſſet Trojam. In Hymenæi forſan ara mitius? ubi in maritales decoctum eſt ſphæras; Semiramidem conſule, quæ in jugulo Nini amores ſuos ulta eſt. *&c.*

FONS 5tus.

Per reſolutionem generis in ſpecies.

DO exemplum: *Quæq; ſuis tellus ſeſe diſcriminat armis.* Quod ita efferres. Non eſt ullum ſub ſole regnum, quod ut cælo, ita & armis ſe non diſtingvat, ut indolis ſuæ magnitudinem demonſtret. Romæ imperium victrices Aquilæ inſigniunt, quæ ut in avium republica regios honores obtinuere, ita ſupra ferarum, & quorumcunque animalium gloriam evolant; Galliam lilia, regius inquam flos, imo Rex florum, exornant, ut & ſangvinis dignitati, & candori erga populos in Principibus præludat. Po-

loniæ idem qui Jovi minister ales, fulmina in hostem suppeditat. Austriæ ceras alaudæ occupant, ut solis illæ volucres, Serenissimos nepotes designent. Sveciæ coronati leones, eximiæ fortitudinis Symbolum sunt. *&c.*

FONS 6tus.

Per explicationem prædicati & subjecti.

SIt pro exemplo hic sensus; *Corona nunquam sinè curis.* Ubi utrumq; substantivum tàm coronæ, quàm curæ materiam amplificationi offerent. *vg.* Da, si poteris solia sine solicitudine, coronas sine curis, regna sine negotijs, prospera sine appendice calamitatum, excelsa sine metu ruinæ, murices absq; cruditate & sudore usq; ad sangvinem, purpuras absq; tela perplexitatum, & ego fortunæ constantiam inRegibus adorabo. &c.

FONS 7mus.

Per Congeriem similium.

FIt ejusmodi amplificatio, quoties sententia aliqua per plures simul inductas similitudines comprobatur, *vg.* Sit propositio. *Rara est felicitas cui se aliquod non admi-*

admiſcuit infortunium. Hinc diceres : Nihil ita clementior in faſtigium extulit fortuna, quod aliqua infortuniorum non flecteret viciſſitudo. Umbram ſoli, maculas lunæ, eclypſim ſideribus adimat, qui à ſereno felicitatum, quævis ærumnarum nubila proſcribere conatur. Quid dignius pretioſis gemmarum pignoribus? inter turbulenta educantur fulmina. Quid auro carius? grãdi montium pondere obruitur. Quid roſis amænius? ſepæ rigoroſis ſpinarum telis horreſcunt. Superbis Regum onuſta exuvijs, vili plerumq; arroditur carie Dodonæa quercus, nota triumphorum gloriæ laurus, quot patitur aſcias? quæ ſeveros Tonantis ignes non metuit. Immortalis Libani cedrus, glaciali colluctatur Boreæ, ſi non frangitur. Nil juvit operoſum naturæ ingenium inconcuſſa adamantem muniviſſe duritie, quem parva hædorũ edomat ſanies, nil murici profuit teſtato armari oſtreo, qui ſuo interitu regnorum ſervit ambitui. Ita quidquid vel naturæ dotibus, vel fortunæ ſuffragio quale quale obtinuit pretium, abſq; deterioris libræ nota non fuit. Quo magis re-

gnorum

gnorum felicitas? quam in terra expectaveris. Habent ſuas imperatrices purpuræ tineas, quibus depaſcuntur &c.

FONS 8vus.

Alio modo per unam ſimilitudinem.

FIt, cùm priùs ſimilitudo explicatur, ac tandem applicatur ſenſui proprio, qui proponitur. vg. hæc ſententia, ut Nilus ubertate Ægypto, ita amplificaretur. Debet ſuam liberalis Nili alveo ubertatem Ægyptus, debent munificæ Principum dexteræ, opulentiorem regna fortunam, ſeptem ille effunditur oſtijs, ut eò largius fæcundas Patriæ fertilitati propinet undas; extra herbidas aſcendit ripas, ut promptius decumano in utilitatem accolarum evagetur fluctu; pingvior argentei glebam obruit limo, ut amæniori inveſtiat virore. Videres emancipatas per prata ſalire lymphas, quæ lætior occupat Chloris, pacato flumen per agros exerrare gurgite quos ſua impleat Ceres; colludere ſylveſtribus Nymphis ſquammatos greges, quæ mox ubere foliorum coma aduſtas ornent arbores, fretum inundare hortos, quibus ſuos Pomona

na adaptet fructus; sed quid Nilus sitienti præstare poterit Ægypto? quod effusa Regum non exæquet, aut superet liberalitas? Aureo beneficentiæ Principum torrente, vacui egentium populorum inundantur sinus, recreantur curiæ irrigantur aræ, humiles æquè excelsæ ditantur sortes. Crescit ferri seges in castris, vernāt purpurarum flores in senatu, messis uberrima gloriæ maturatur ubiq; quo largior sceptrorum prodigalitatis influit amnis. Quid ergo? plusnè torrida Syene è suo bibit fertilitatis Nilo, quàm miseri cives opulentiæ, è Regiarum largitionum pelago? &c.

FONS 9nus.

Per allegoriam mixtam.

QUando verba sensûs proprij verbis allegoricis permiscentur. vg. Idem est vitijs ingenium & vitibus, exuberant, ni falce putentur. Hoc ita efferes: Noxia semper ut vitium, ita vitiorum fæcunditas. Nutritium probitatis vigorem, iners ejusmodi facilè absumit sylva, ni severo justæ Themidis præcidatur ense, steriles inquam in sua fer-

fertilitate, ut palmitum, ita noxarum umbræ dum omne cœli excludunt ſerenum, fæcundam bonorum fructuum ſpem enecant. Racemorum, ut criminum permiſſa luxuries, æternam generat & ablactat noctem. Aſtris invidi ſtolones, aſtrorum influxus matureſcenti ut uvæ, ita virtuti præripiunt. Gemmãtes, vitæ ſanctioris, vites illachrymãtur peſſimo exuberantium vitiorum abortui, niſi earum luctum, aut æſtus vindicis flammæ, aut ſævius ulciſcatur ferrum. Ita noxia libertas, falcem ſemper invocat. Nobilis botrorum, vineæ Domini ſangvis, quem inutiles ejuſmodi exſugunt ſpongiæ, aliter refundi non poteſt, niſi per vulnera evomatur, id eſt; alimenta virtutum quæ teneræ indoli adoleſcens ſuffuratur culpa, aliter reſarciri nequeũt, niſi culpa plectatur. Facilè probis fructibus inſultant, dum in altum ſaliunt, intempeſtiva hæc germina. Securas tamen ejuſmodi jacturæ vineas Chriſti, reddet ſecuris. Attondendæ ſunt nimiæ fertilitati comæ, ne noceat. Sylveſcit peſſima ſcelerum indoles, ni halybem ſentiat. &c.

FONS 10mus.

Per congeriem eruditionum.

ITa in hanc ſententiam: *Virtutes cælum non vitia occupant*, luderes: Quid aſtris cum ſceleribus? quæ ipſi tantum in ſerta nectuntur virtuti. Niſi ideò ſideribus effrons crimen admoveri velit, ut candentes cæli faces pœnalem illi inurant notam. Male aliquis infamem Caliſto innocentibus commiſcuit ſtellis, quæ modo glacialis arctos ſublime ſidus claſſes Argolicas agit; malè candidus Europæ portitor Taurus, è duce armẽtorum, in cœleſte accẽditur jubar; quaſi bruta Phœnomena, aut greges ſiderum in Zodiaco ſtabulentur. Male ſororia Atlantidum nomina ſphæris inſeruntur, quæ ponto, ac ratibus metuendos ideſt, fœmineos liquantur lachrymarum in imbres. Illenè probrum mortalium, non modo ſiderum barbarus Orion inter aſtra horoſcopatur? qui Numina etiam terrere minaci armatus fingitur gladio; Illa mendacis Cygni pignora, emaſculati fratres, Pollux & Caſtor ſtellantia occupant regna, quos

Lædæ infamat torus? Ille amyſtidi, quam cælo aptior Niſæus helluo aſtris commiſcetur? cui femur Jovis uterum ſupplevit? ſcelerum inquam ſcelera non lumina. Quid aureæ Perſei ſtellæ? quid Latonia ſidera? quid Gnoſſidis puellæ ſerta? perenne aſtrorum dedecus. Nil aquilæ, nil hædi, nil ſcorpiones, nil feræ, nil inſecta cum ſideribus habent. Qua tandem cœli parte virtutes locabimus? ſi nulla aſtrorum ſedes immunis eſt eſt à monſtris, dicam plus, à ſceleribus? Pudeat ignara probitatis ſæcula, rectegeſtorum coloniam criminibus affinxiſſe. Lacteus innocentiæ candor non melius Galaxiâ cæleſtes irradiabit ſphæras? Aureæ charitatis flammæ non pulchrius aurô Perſei fulgebunt compunctæ mentis lachrymæ, pluviali Plejadum ſidere non præſtantius refrigerium ardenti ignibus offerent polo certè conſtantis animi laureæ, Serta Ariadnes; diſtrictus Juſtitiæ chalybs, Orionis enſem; precatorij concentus, Lyram Apollinis facilè ſuperabunt. Acclamet orbis, virtutum ſereno, non turbido vitiorum cælum patere.

FONS

FONS I I mus.

Per comparationẽ unius Eruditionis.

SIt sensus, *Alpes Punici Annibalis Lydius heroici laboris*, hinc diceres: Post effractas Punico chalybe Alpes, quid heroico labori arduum? Grande Libicarum urbium præsidium Annibal, ille inquam flos Martius Carthaginis, ille sol Africæ, ille fulmen hostium Annibal, ipsas etiam naturæ ingenio armatas rupes, suæ patefecit gloriæ. Nil eum obnitentia saxa, nil præruptá montium, nil difficiles ascensu moverunt calles; non asperæ cautes, non duri silices, non invecta nubibus fastigia Martialem frænârunt conatum; glacialem nivosi verticis hyemem, ignea liquavit indole, rigorem cæli æstu virtutis temperavit, animi magnitudine; molem jugorum imminuit; scilicet saxorum duritiem fuso desuper emollivit aceto; viscera rupium ferro perrupit, hiantes in præceps cavernas ingestis collibus obruit, malleis, ligonibus, gladijs invium marmor fodit, ut triumphale ex Alpibus iter in Capitolium dirigeret. Facilè illi erat

victrices Italiæ campis inserere laureas, quas in clivis exercuit; Facilè palmaribus flammis Hesperum accendere, quas ex Alpium silice elicuit; facilè trepidas Romanorum debellare mentes, cum montes expugnavit, Quæ posthac Heroibus pericula? quos obices intentabit adversitas, ut victore non edomētur animo, postquam Punica eò ascendit virtus? Obijciat horrida naufragijs æquora Neptunus, præter Leandri peritiam tranabuntur; evomat ardenti voragine stygem Erebus, obruetur cum Curtio; pontes abrumpat hostilitas, superabitur cum Coclite Horatio. Parum est grandes perrumpere exercitus, effringere mœnia, sirium, gelidamq; tolerare Arcton, cum Hercule monstra, cum Lisimacho leones, cum Bellerophonte chimæras jugulare, insudare agris, excavare rupes, distrahere fluvios, parum est, ubi ad ipsos montium vertices solertior eluctatur labor.

FONS 12mus.

Per allegoriam mixtam eruditam.

ALio modo fit comparatio erudita per alle-

allegoriam, cum verba eruditionis, verbis proprij ſensûs permiſcentur. vg. *Aureus Minervæ imber literarum fœcunditas.* ſic expoliretur: Fulgida literarum ſementis facilè in opimam gloriæ exuberat meſſem, ubi aureo Minervæ irrorarur imbre. Divite hac tempeſtate ut Attica gleba, ita fertiles paginarum agelli optimè inundantur. Quid florida eloquentiæ prata Pœſtanæ exequat amænitati? quid perenne ver Muſarum adſtruit ſertis? quid Heliconias immortali virore recreat laurus? Quid ſvadæ fragrantiam, ingeniorum ubertatem, fœcundam heroibus alit laudum ſegetem? præter quàm nobilis hæc & omni ſuperior pretio Palladis procella? Non turbido Jove naſcitur, quæ ſerenas cultoribus ſuis ablactat mentes. Et licet inter pluvias cunabula occupat, ſed aureas, quæ ſolem fulgore æmulantur; imò ut ſcias omnem ingenij partum auro refundi debere, oratorem ejusmodi pretioſa tempeſtas decet, non rudes juncos; pacata profundioris eloquentiæ augmenta flumina non garrulas quaſpiam ſcaturigines; Illa illa au-

rea grando, in pretium gemmarum librat periodos, coronis literarum carbunculos inserit, humiles appretiat fortunas, & in Iro etiam Attali opibus præstantiorem reddit eruditionem; illa torridâ adustos egestatis zonâ clientes, suavi refrigerat influxu, arentes sirio curarum, mentes irrigat, glaciali metuum Arcto constrictos resolvit animos. &c.

FONS 13tius.

Per Annominationes varias.

SIt sententia: *Vtiliùs bella reguntur, quàm geruntur.* Quod sic ampliares: Nescio quis prosperius pugnavit? militaris dimicatio, quàm ponderosa in consilijs dictio? certè mens Ducum aurea, frequentes parit laureas; in paginis felicius exercetur ferrum, quàm in vaginis; nec ita catapultæ jactus, ut jacta in scrutinio ratio grandem hostibus minatur jacturam; Fortiter dimicatur telis, sub tutela docti capitis; Facilè verò barbarorum prorogatur audacia, ubi nulla Patriæ erogantur consilia. Citiùs palmari Principum cerebro, quàm acri militum terebro, urbium patuerũt

moe-

mœnia. Quid prælia? è peritis plerũq; meliùs instaurantur prælis; Quid belli conflictus? fluctuant absq; Musarum libellis, & nisi eo regantur vatum principe quo nascente mobilis stetit tellus: Quanto regnorum lucro consulari manu militaris agitur mucro. Duce Minerva, quis Nerva non triumphet. Incrustantur cineribus coronæ, ubi Atticâ Martialis galea non cristatur noctuâ: Nec ita cono, ut conatu ingenij exercitus armantur. Tutior Palladio Æneas, quã gladio per flãmas Ilij vadit, Martis simul, & Mercurij flamines fulmina armorum ministrent necessũ. Ridet belli aleam, cui ratio implevit galeam. Meritò Gradivi ancilia, cunctatori ancillantur Fabio. Matura prosperiùs decertat ratio, quàm non morituræ vires. &c.

FONS 14tus.

Per Traductionis & commutationis figuram.

SIt Projectum gnoma; *Ex usu non est, sceleribus mulctare scelera*; hoc ita efferres: Male quis reorum licentiam re-

atuum coércet licentiâ. Malè popularia exſtirpantur crimina, ſoliorum criminibus. Innoxiâ manu civiles proſperè delentur noxæ. Inculpatus chalybs plurimum timetur culpæ. Quid profuit nocentes perdere? non ut ſub ſuo Reſp: ſecurior Principe floreret, ſed ut Princeps ſecuriùs Reipublicæ noceret? Quid juvit invidenda aggredi? ut toties invidiæ materiam dediſti. Ita ſanè ſceleribus fatigantur ſupplicia, non ſupplicijs ſcelera, ſecures atteruntur jugulis, non juguli ſecuribus. Vilis omninò palma eſt, ferro ſævire, ut ferro plectenda geras, pænitenda inſequi, ut pœnitentiam malorum alijs extorqueas. Et hoc eſt ſceleratos mulctare non ſcelera, reos non reatus interimere. Quæ gloria? forum evacuare delinquentibus, ut vacuum regia delicta inveniant forum; ſtrangulare vitioſos, ut vitia regnent. Miſerum eſt, miſerorum cædibus frui, nè ſocios criminum habeas. Innoxius Themidis gladius, noxias præſcindit cervices; cum ſceleratis ſcelera perimit. Sed hæc Tyrannorum natura, rapere alijs vitam, ut è vita rapi mere-

an-

antur; calcare ſanguinem civium, ut ſuus calcetur ſangvis à civibus; tollere peſſimos, ut peſſimi vivant. &c.

FONS 15tus.

Per Hipotypoſin ſeu Deſcriptionem.

EXimius hic modus amplificandi ſententiam; quod fit adhibitis breviter adjunctis; *quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Alia verò eſt deſcriptio hiſtorica, cum Perſona, vel res aliqua ad amuſſim deſcribitur, alia oratoria, cum aliquis actus admiſtis ſententijs, eruditionibus, ſimilibus enarratur. Sit pro exemplo propoſitio; *V. D. S. Ioſeph Calaſantius Fundator Piarum Scholarum, infans diabolum armatus cultro inſequitur*; Hoc taliter expolires: Eximiæ heroum indoles, per tenerorum quantumvis artuum tranſparent compagem; & fermè in cunis grandes ordiuntur arenas. Faſciata viridi involucro roſa, futuram quâ explicetur, præſentat purpuram; gemma ſuæ incluſa conchæ regias, quas exornet, ſpirat coronas; Niſi apertiùs id noſter ut purpurarum Flos, ita regnorum Gemma in

ſe exhibeat Calaſantius. Infans adhuc, qua Heſperum luce incenderet, oſtendit. Iberiæ alumnus, ortum vitæ ortui ſolis exæquavit an eundem cum ſole ortum, ſidus Religionis habere voluit? Nempè gentilitius Calaſantiorum ſirius æſtatem maturæ virtutis, in vere pueritiæ, meſſem gloriæ in flore ætatis illi portendebat. Tot Illuſtres Avorum ceræ, quid aliud, quàm nobile phœnomenon accenderent? Auguſta Lumina noctes non pariũt. E leone cervum, ex Aquila imbellem columbam, quis expectaverit? necdum ille firmo inceſſit veſtigio, jam firmâ animi fortitudine ſtygium inceſſit hoſtem. Titubante plantâ nè paſſum quidem Tænario Giganti indulſit. Alter Hercules, niſi quod cunas jàm egreſſus, turgidas veneno cervices, antiquo ſerpenti eliſit. Cùm in arundine longa communis æquitat infantia, illum orcus ſeſſorem tulit, ubi crepundijs arma permutans, profugum eousq; cultro inſequitur, donec expunxerit; an victor, victi cervicibus hoſtis inſedit: Tricorpori Geryone major Puſio hic, ſit neceſſe, qui cælo ipſi arma in-

intentantem oppreſſit ſtygem, Sanctior Myſtes, veterum ſacrificia haruſpicum correxit, illi enim armenta in hecatombem orco ſacrilegis proſternebant cultris, hic orcum, Cælo in victimam cultello confodit. Certè Domitiani coronâ, canitie maturius, alatum inſectatur ſtygis draconem, non muſas; licet & ſatanas Ægyptijs ſub ſpecie muſcæ colitur, verè muſca Deus. Ita ſirius Calaſantij ſemper infeſtus Cerbero, caniculus, tricipiti moloſſo. Acies prælio ejusmodi delecta, conclave fuit. In eas ſcilicet anguſtias redegit hoſtem puſio pugil. Vix Græcia felicius in Termopylis triũphavit ex Partho. Quod anguli, tot orco fuêre propugnacula, in quæ ſe ſe receperat, ſed inſtante Calaſantio omnibus excedens, vix in centro terræ profugus reſpiravit. Suavi balbutio rugitum deterruit leonis tenelli pedis ancipiti greſſu, Gygantæos paſſus occupavit, calce fauces cerber; attrivit, cultri acie ſquammatum draconem confecit. An ſuperorum concivis, & cœli hæres Calaſantius, inquilinam ſuo in conclavi pateretur Stygem? imo, cœlum intra Patrias

fun-

fundaturus ædes, Luciferum eijcit. Quãtus hic Erebi terror olim in senecta futurus, qui infans Erebum triumphavit.

FONS 16tus.

Per signa rerum.

SIgnorum nomine veniunt omnia, quæ res aliquas insigniunt, seu designant, ut sunt insignia regnorum, Coronæ, sceptra, pomum, purpura, &c. Fortunæ rota, alea item stemmata illustrium prosapiarum, imo vix aliquid notabilis quod sua signa non habeat, quibus designetur. Unde ingeniosè combinanda sunt ejusmodi, signa ut tuo sensui deserviant vg. Nulla fermè prosperitas, cui se misera ærumnarum conditio non associet. Habent suas regum purpuræ tineas, quibus arrodantur, imperatrices coronæ nunquam extra incudem & malleũ infortuniorum .Habet vestigiũ licet auro gemmisq́; spectrorum acer intestinam cariem, quâ consumitur. Regnorum poma, edax curarum vermis depascitur. Ausim dicere, nulla repereris solia, absq; gravi solicitudine, nullum ebur curulium, sine atra è bellis fuligine, nullum ostrum,

absq;

absque ostreo calamitatum. Sybaritici luxûs culcitris incubat contubernalis mæror; Cleopatræ flabella, rigidior, afflat Boreas, ad æraria Attali, excubat egestas: verbo, nemo est, quē ita fortunæ alea spe alat, ut non fallat. &c:

FONS 17mus.

Per Periphrasim.

FIt, cum aut identici sensus plures coacervantur, aut circumstantiæ variæ seu adjuncta inducuntur. Sit pro exemplo, brevis Professori Rhotorices gratulatio. Oratoriæ facultatis Professorem sine oratorio Verborum apparatu, disertiorem Tullium absq; togata svadæ amplitudine accedimus, ê tuis primo fōtibus meliorem delibaturi eloquentiam. Nempè, quis Erythræum minori scaturigine, luminosam Pharon, tenui lychno, æstuantem flammis Æthnam, aliquot scintillis, quis tuæ decumanum pelagus eloquentiæ, humili auderet venâ facundiæ cumulare? Nemo te dignus in floridis Oratorum cāpis pro olea Palladis, aut laurea Apollinis decertavit, nemo pulchriùs vernanti suada floruit,

nemo

nemo melius rudes Mercurij ſtolones, dedolavit. Demoſthenis fulmina mitiùs Perclis tonitrua lenius, Gallicani Herculis torques moderatius ad nervoſæ dictionis tuæ efficaciam, arguti eloquij gloriam, flagrantium affectuum vehementiam, humanas detinere mentes viderentur. Haberet ipſe Rhetorum Princeps Ariſtoteles quod à te diſceret; Caducæatoris Mercurij alas ingenij felicitate prævolas; acuminis ſublimi honore Parnaſſi evincis apices. Quapropter, ut tibi quã optimè applaudamus, profundo tuam facundiam & te venerabimur ſilentio.

FONS 18vus.

Per Anthiteta, ſeu oppoſita.

MOdus hic amplificandæ ſententiæ pulcherrimus. v g. hæc ſententia, *Ferro invictos. auro vinces.* Ita efferri per anthiteta poteſt. Impavidi ad armorũ fulgura heròés, auri fulgore facilè expugnantur. Et certè plures opibus debemus laureas, quàm opitularibus ſignis; diſtricta ferri acies, hebetatur ad divitem Pactoli arenam; argenteæ Moſchi

ſchi

ſchi haſtæ plus populorum ſubigunt quàm chalybeæ cuſpides. Plures locupletior Plutus in ciſtis agit triumphos, quàm in caſtris galeatus Mavors. Onuſtus auro Macedonis aſellus effringit Olynthi mœnia, quæ fruſtra bellicus verberavit aries. Intrat pretioſior Jovis procella ſeptas legionibus Acriſionias arces, quo plumbea grando, non penetravit. Nunquam tot catenata compages, quot gemmea compes adſtringit victorias, Clauſas ad belli tonitrua caſſide aures, auri tinnitus reſerat, armatas gladio manus, munus inerme exarmat. Credis? aureus ſemper robuſtior Perſeus, quàm chalybeus Achilles, ubi de victoria certatur. Bellatrices Aquilæ in nido aureo facilè nidificant. Clãgor æris bellici, concentu nummorum vincitur. Dicamnè? fermè ubiq; bella, auri libellis conficiuntur. Urbes aggrederis? Phryxeum arietem pro bellico admove, expugnâſti. Caſtra hoſtium obſides? pro ferrea Martis corona, Sphæras aureorum numiſmatum circumage, ſatis firmiter hoſtem cinxiſti. Populares vincere animos voles? gemmatas tor-

torques, pro pedicis adhibe, captivâsti. Ita semper faustius opulentior concha, quàm bellica testudo victorum evexit fortunam, & quæ cuniculus non potuit, aurea vena subvertit propugnacula. Approbo oraculum: argenteis hastis pugna, & vinces.

FONS 19nus.

Per conceptus plures uni rei accomodatos.

COnceptuum fontes habes in Athomo 2da, ubi legitur de modis combinãdi diversa substantiva. Præcipuè cum contraria ingeniosè combinantur, conjuncta disjunguntur, disjuncta coadunantur, cum aliquid proprij negatur de re, cui competit, vel asseritur, cui non cõvenit; cum datur ratio, quæ propriè non est ratio, sed affingitur studiosè, cum nua sententia aliam destruit, per lusum in verbis, ut est Annominatio, Traductio, nomina æquivoca &c. Ab eruditione, fabula, dicto alicujus &c. Ad hunc fontem maximà elogia pertinent, quæ, siquidem brevitate gaudent, ad amplificationem athomam reducen-

da sunt, neq; enim sub minori, quæ fit per argumentationes, neq; sub majori, quæ solis magnis orationibus convenit, locum habere potest amplificatione, ideò de his pauca.

METHODUS 2da.

De Elogijs.

ELogia, ut distingvantur à communi Laconico stylo, non in sola brevitate consistunt, hoc enim oratio Laconica habere potest, sed in numerica syllabarum & vocum coordinatione magis observari volunt; unde licet quantitatem ut in versibus, non considerant, videntur tamen ob sensus fractos, & præruptos ad pòësim spectare. Est ergo Elogium oratio brevis & acuta, fractis, & præruptis sensibus gaudens. Unde ut sit elogium cultum, elegans, acutum, breve, eruditum, serventur requisita, quæ subijcio.

Requisitum 1mum.

UT sensus, & constructiones fractæ aptè disponantur, hoc fit optimè per hyperbathon transponendo voces, quæ recto ordine poni debuerunt. vg. *Quā*

petijt, *non meruit requiem.* 2. Per Traductionem. vg. *Regum conditio hæc est, facere felices, non esse felices; Juvenili Senatu regna senescunt.* 3. Adhibito pronomine hic, ille, uterq; *vg. Hic annis, ille ingenio puer, uterq; Patriæ gravis.* 4to. Per comparativos gradus; *melior Numini victima, quàm Sacerdos.* vel. *Malum, humilis fortuna dedit, pessimum prosperior fecit.* 5to. Per numerum vg. *Bis fera, ungue nocuit, & linguâ.* 6to. Per particulam Uter, an. vg. *Uter insanior, qui aliquando sapuit, an qui nunquam.* 7mo. Per particulam ut; vg. *Ut respirarent Cives, hostes oppressit.* 8vo. Per figuras similiter cadens, similiter desinens, compar, adjunctio, disjunctio, apostrophe, acclamatio. &c.

2dum.

VT sensibus magis, quàm verbis constet elogium, quod sua exigit brevitas; hæc verò fit, 1mo. Cùm omnia adjectiva, adverbia, quæ superflua essent, præciduntur. 2do. Ut si adjectivum ponatur, in eo lusus, aut singularis energia, exprimatur. 3tio. Ut commata sint quàm brevissima, periodi pariter parvæ. 4to. Ut ul-

tai

ſtra tria inciſa ad ſummum quatuor non extendatur, niſi in inſcriptionibus.

3tium.

UT argutia, vel acumen, vel conceptus ſit frequens, ſi hæc deerunt, ſuppleat luſus in verbis, vel ſententia, vel eruditio. Acuminum fontes habes in Atomo 2da, adde inſuper adhuc unũ, forè inexhauſtum, qui in Atomo 1ma, per omnes methodos reperitur; ſcilicet, ex natura ſubſtantivi, materia, forma; fine, à cauſa efficiente, qualitates, proprietates, Sympathiam, tempus, locum, ſigna conſiderando, innumeros formabis conceptus, ut videre eſt in Atomo 1mâ, per omnes Methodos.

4tum.

UT ſententiæ frequentes, & ponderoſæ inſpergãtur elogijs; hæ verò ſint 1mò: Per allegoriam puram. vg. *Solem circumnectens corona, nimbos minatur,* vel mixtam, vg. *idem vitibus & vitijs ingenium, exuberant, ni falcem ſentiant.* vel per cõpoſitam. vg. *ſuſpecta eſt Typhi longa æquoris tranquillitas, Principi longa civium otia.* 2do. Per ſecundam perſonam, quaſi

aliquam alloquereris, egregiè formabis ſententias, vg. *Quod ſcelere paraveris regnum, nunquàm ſtabile eſt.* 3tio. Per Annominationem, Traductionem; *Civium ſecuritas, ſecuris.* 4to. Per oppoſitionem. vg. *Non bene conveniunt & in una ſede morantur, Majeſtas & amor.* 5to. ab eruditione. vg. *Ajacem nemo vicerit, niſi Ajax.* 6to. Per contradictoria. vg. *Pia impietas, ut ames Deum, odiſſe Parentes.* 7mo. Per adagia, paradoxa. vg. *Ægæum navigat, qui voluptati vela dedit. Nemo ita deſipit, ut non ſapiát aliquando.* 8vo. Pòëtarum gnomata inſerendo. vg. *Extrà Ilium hic time Danaos, & dona ferentes.*

5tum.

UT aliquæ rariores hiſtoriæ ſeu eruditiones permiſceantur 1mo. Per cõparationẽ. vg. *Hectorem obÿciat hoſtis, Achillẽ in te ſentiet.* 2do. Per Prælationẽ, vel Poſtpoſitionen. vg. *Themiſtoclis trophæa Milciadem excitârunt, Tua orbis Tyrannos. Magnitudo Macedonis impar tuæ.* 3tio. Per modum rationis eruditionem pones. vg. *Ex opulentis majoribus, opulentiſſimus heros, ut ſcias aureos ex aureo Jove naſci Perſeos.* Per antomaſiam vg. *Facile*

cile repereris Plinios, ubi Trajani regnant. 5to. Conglobatas breviter inseres eruditiones. vg. *Consiliis Fábios, fortitudine Scipiones, felicitate Policratem superavit.* 6to. Per modum sententiæ: vg. *Alcidam metuant, qui Lernam alunt.* 7mo. Per Rejectionem oratoriam vg. *Procul è regno pacis seditiose Catilina:* Plures modos apud Authores invenies, isti benè utentibus, sufficiunt. Exempla elogiorum in Libris praxium habebis, si ita supremo Numini placuerit, modo unicum Eucharistico Principi Christo JEsu dicatum, subijcio.

Optimæ frugi Principem.

VBi quæsiveris, nisi in Pane? Humanatum Verbũ, nunquã extra sphærã.
Aut Cæli, aut Panis repereris, *Agricolæ Patris* opima hæc Seges Frumentum Electorum.
Ante amaram in passione sangvinis sui victimam dulce libum induit,
Vt ex utroq; Numen tibi reconciliaret.
An, ut post fel & acetum Sionis, sic saltim mundo sapiat?
Quâ sanctior hic Protheus non vestitur formâ?

ut te perditum investiget;
Jgnis de cælo descendens, Vitis vera, ac tandem panis.
Caristiam orbis non metuat, regnante ex Aræ solio,
Divinâ Cerere.
Magni quidem illa pretij, quâ Cælum constat,
sed vili drachmâ animæ pœnitẽtis emitur.
Jmò, si ita egeas, ut nec drachma tibi sit,
Ipse Eucharisticus Princeps,
Et panis, & nummus, est.
Par illi ut pretiũ ponas, Deum æstima.
O! quam felix cordis ager!
Super quem hoc granũ tritici ceciderit,
Ut multum fructum afferat,
Sementis beata facile in messem gratiarum exuberat.
Hic est ille odor agri, quem Jsaac odoratus est in Jacob.
Huc argumentosæ piorum fideliũ apes,
Ambrosiam cæli in lacteo flore campi legetis,
qua cellas pectorum repleatis.
Certè ille & favus mellis distillans est.
è cujus gustu,
Vitam

Vitam, non mortem quilibet sibi ominetur Jonathas.
Jta pene tamen, non in favo se exhibet, ne aculeum metuas.
O! quot nutritia Divina Ceres, cælo pignora,
Jnnocentis hostiæ lacte educavit?
O! quam avarus,
Cui mensa hæc Deo & tot gratijs condita non sufficit!

ATHOMUS 4ta.

De Amplicatione Minori.

EGimus hactenus de amplificatione athoma, unius vocis, ac tandem unius sententiæ, sed quia sententia pressiùs aut fusiùs pro usu orationis dilatari potest, ideò hic de modo fusiori amplificandæ sententiæ tractare volumus, qui fit per argumentationes oratorias, unde sit.

METHODUS 1ma.

De Argumentationibus.

ARgumentatio in genere est invētæ rationis artificiosa dispositio, seu expolitio. Dicitur inventæ rationis, quæ ut aliqua Argumētatio formetur, debet

poni propoſitio, in quam fiat argumentatio, mox ſubijcienda propoſitioni ratio, quæ primo diſponitur per aliquam ex infrà ſcriptis argumentationem. Sunt igiur 12. ejuſmodi Argumentationes: Syllogiſmus, Enthymema, Dilemma, Inductio, Expolitio, ſeu Collectio oratoria, Exemplum, Prothaſis & Apodoſis, per modum Chriæ dempto exordio, Comparatio alicujus ſymboli, ſimilis, hieroglyphici &c. Continuatio propoſitionis per totum textum orationis, Epicherema, Sorites.

Syllogiſmus eſt argumentatio, conſtans duabus præmiſſis & concluſione. Apud Oratores triplex eſt; Tripartitus, quadripartitus, & quinquepartitus. Tripartitus conſtat duabus propoſitionibus, Majore, & Minore, & Concluſione; Quadripartitus admittit rationem Majoris, vel minoris; Quinquepartitus utriquè propoſitioni, tàm Majori, quàm minori rationem adjungit. Notandum verò non teneri Oratorem ad rigorem Dialecticum, ita ut omninò priùs Major, poſt minor, ac demùm concluſio ponatur; aliquando enim à minori, aliquando

do à conclusione, præter solitum ordinem incipit orator, pro impetu, & cōmodo lucubrationis. Exempla in libro praxium habebis, nè sim prolixior in præceptis, qui in brevitatem juravi.

Enthymema est argumentatio propositione antecedenti, & conclusione cōsequenti constans. Dicitur Syllogismus truncatus, quod præcisâ Majori, minor quasi, & conclusio in Enthymemate ponatur. Addi potest ratio antecedentis, imò & ipsius consequentis, & tunc erit Enthymema tripartitum.

Dilemma Oratorium est argumentatio duabus propositionibus diversis constās; vocatur Syllogismus cornutus, quod in utrumq; propositiones, quasi cornua sint directæ. Jisdem partibus, ut syllogismus constat, quia ipse est syllogismus Dilemmaticus.

Inductio, est argumentatio, cum quibusdam similibus, aut eruditionibus, præmissis, certa formatur illatio.

Expolitio, seu Collectio Oratoria, est argumentatio, cum assumptæ propositioni subnectitur ratio, mox rationis ratio, exornatio, quæ fit ab eruditione

ſymbolo, ſententia Authoris, &c. ac demùm complexio, ſeu concluſio adjungitur.

Exemplum eſt argumẽtatio, cum propoſitâ aliquâ eruditione noſtra infertur ſententia.

Protaſis & Apodoſis, eſt Argumentatio fermè eadem, cum Exemplo, niſi quod hîc præter eruditionem, ſimilitudo, ſententia authoris, ſymbolum adhiberi poſſit; ibi verò ſola eruditio. Unde ſic definiri poteſt, Protaſis & Apodoſis eſt argumentatio, ex aliqua ſimilitudine, Symbolo. &c. certam inferens concluſionem.

Per modum Chriæ fit argumentatio, & amplificatio Oratoria cum demptâ laude, quæ in exordio poni ſolet Chriæ, ſtatim à propoſitione incipit oratio, tùm ratio, contrarium, ſimile, exemplũ, ſententia Authoris, ac demùm epilogus ſeu concluſio ſucijciuntur.

Comparatio, eſt idem cum Protaſi & Apodoſi.

Continuatio propoſitionis eſt argumentatio, cum aſſumpta propoſitio, per totum textum orationis, ex ſuis propriè

&

& intrinsecè, sibi cōpetentibus rationibus probatur; quod maximè fit in propositionibus Metaphoricis, Exēpla omnium harum Argumentationum in Libro Praxium tomo 2do, leges, hic brevitati litamus. Epicherema, & Sorites argumentationes minùs usitatæ.

METHODUS 2da.

De Periodis.

PEr Periodos optimè augmētatur oratio, cum ex earum artificio una sententia in plures periodos seu proprias, seu improprias extenditur; ideòq; inter fontes amplificationis atomæ poni meruerant, sed quia æquè minori ac majori amplificationi deserviunt, ideò inter utramq amplificationem sedem illis figimus. Itaq;

Periodus est oratio, quæ principium & finem habet; seu est sententia perfecto sensu absoluta.

Periodi aliæ sunt propriæ, quæ certo membrorum numero & ordine constāt; aliæ impropriæ, quæ incertâ membrorum quantitate conficiuntur.

Propriæ sunt 4. Monocolos, dicolos, tri-

tricolos, tetracolos; seu unimembris, bimembris, trimembris, quadrimembris. Unimembris est periodus propria, uno membro, & sensu perfecto absoluta; ita ut membrum non sit commaticum, hoc enim, & Schinotenes habet. vg *Arcana vetustæ dulcedo vitæ totum sibi subjugat orbem.*

Dicolos est periodus propria duobus membris, sibi ad invicem nexis & sensu perfecto constans. vg. *Quod cibus est homini, quod fomes pinguior igni, hoc avidis famæ proba mentibus ansa merendi.*

Tricolos est periodus propria tribus membris & sensu perfecto finita. vg. *Spes opulenta manus, mediis ubi fulget in armis, elicit insignes ausus, sed munera præter plus animus fortis laudi desudat avitæ.* Tetracolos est periodus propria quatuor membris ex se manantibus & sensu perfecto constans vg. *Vires bella gerunt, non longis usibus ætas enervata, quies cui post tot damna cietur, quamvis consilio melius maturius ævum est, dextraq; jus capitis nullo extorquebit honore.*

Impropriæ sunt 5. Schinotenes, periodica circumductio, periodus pneumatica, pneuma, & Tasis. Schi-

Schinotenes, eſt periodus impropria membro uno prolixo & in modum funis extenſo concinnata. Fit dupliciter per Hyperbaton & inciſa; Per Hyperbaton, cum inter principium & finem periodi interijcitur aliquis ſenſus vg. *Sic ego conjux deſeror, odriſias expectatura catenas, ut res Auſtriacas noſtrâ formidine (quid ſi vera metus dictat) veſtræ diſcrimine vitæ, aſtra feras ſupra?* Per inciſa, cũ plura commata uno verbo clauduntur. vg. *Quid ditior auri gleba, quid Oceani non vilis filia gemma, ac orbis totius opes ſuperaddere poſſunt Theſauro ſuperæ mentis.*

Periodica circumductio eſt periodus impropria quatuor aut pluribus membris vel paucioribus confecta; hoc differt à propria, quod membra non ſint ad invicem conjuncta, ut in propria periodo. vg. *Mæonio quivis optat ſuccedere Cræſo. Irus egens hærede caret, properatur ad Indos, pauperies Ithacæ fugitur terrâq; mariq;.*

Periodus Pneumatica eſt periodus impropria, quæ duobus vel tribus membris Schinotenicis conſtat. vg. *Optavit Decios fortes, rigidoſq; Metellos,, Scipiadas*

das duros Martia Roma sibi. Temperies Fabij, justus sine crimine Brutus, plus tamen his præstant, æquanimisve Cato.

Pneuma est periodus impropria multa membra & commata includens & usq; ad defectum spiritûs extensa. Duas habet partes, Dianiam, quæ est longior, & conclusionē quæ est minor & plerumq; uno membro contenta, vg. *Tunc melius nituisse poli, tunc astra torosum descruisse senem; terrasq; petisse videntur, atq; novis crinita Ceres, Trinacride missa, messibus evicuisse, tuo cum Purpura princeps imperio cessit.* Talis est Periodus impropria extensione quam maximâ gaudens. Duas habet partes protasim, & apodosim. utraq; ejusdem longitudinis. vg. *Tunc velut icta levi viridis fera cuspide Mauri, quæ prius obriguit, tenui perfusa cruore, postquam vulnus hians sensit, flammatur in iras & nihil exhorrens circūcingentia se se agmina, latratusq; canum, ruit acrius ultro in ferrum, dominiq; caput per vulnera quærit.*

Soluti styli exempla in unum contextum oratorium congessi, ut pateat non ineptam fieri posse per periodos unius sētentiæ amplificationem. Sit ergo propositio.

sitio, *Auro refundi militaris ferri labores merentur*; quod sic periodicè, edisseres. Acceptum in bilancem æquitatis ferri militaris pretium, auro, non quovis alio pondere examinari patitur. Certè nihil melius rubiginosum Martis exaspe-rat chalybẽ, quàm aurea cotis, dum munificâ Principum admovetur manu. Ardeat quantumvis fervido heroũ animo incensus mucro, facile etiam in ipsa periculorum incude, ignava refrigescet inertia, nî largiori ferventis in præmia ærarij fomite sustentetur. Ut crudius ferri metallum pingvi hostium amat intingi sæpius cruore, & per ipsas asperius redditur regnorum cædes, ita cito ad refractos & repercussos hebescit ictus, nisi divite Pactoli expolitum arena novas in barbaros enses resumpserit iras Acuta gladiorum acies, etsi nunquam absq; cæde Tarquinio, in hostium tamen cervicibus facilè hebetatur. Militare Sagum, bellatrices Aquilæ, nescio qua Gorgone armata Persei ægis, aut styge tinctus Achilles, fulgidis regum non protecta bra-ctis pervia sunt hostilibus telis. Nil heroe in barbaricas acies ferocius nihil

agi-

agilius, avidius nihil, cum æris tinnitus classicum in prælia canunt; nil segnius, nis remissius, langvidius nihil, ubi clangor æris defecerit. Quis enim tutum pectus telis objecerit Patroclus, quod aurea coronati Pelidæ non obarmavit lorica? Quis manus hosti acriter conseruerit Zelislaus, si auream à suo Krivousto non expectaret dexteram, nec Bellorophon in volucri Pegaso, sed absq; aureo calcari, triumphat Chimæram. Dic age! quis in exercitu foret ad dimicandū fervor? quis in prælia animus? quod robur in pericula? quæ in excubuijs sollicitudo? quæ in aggressu hostium audacia? dum frangi mænia, penetrari fossæ, erui propugnacula, castra involari debent, si nulla præmiorum affulgeret gloria, nulla luctantibus in freto periculorum aurea præluceret Pharos. Frigent perfusi gelido metu militum artus, glaciatur in venis generosior sangvis, obrigescunt nervi, nutat sub casside vertex, ægræ ad capulum pendent manus, dum salubriori largitionum non curantur medelâ, diviti non recreantur congiario, virgâ Mercurij aureâ non sufful-

fulciuntur, nulla præmia expectant, nulla spe fœcundantur. Profectò aurum meruit, qui ferro gloriam meretur.

Notandum hic, dari præter regulares & ordinarias periodos, aliquas periodos commaticas, quæ tribus, aut quatuor verbis absolvi possunt. vg. speciosum malum species. vel. rara est concordia fratrum. Talibus utimur in elogijs, & omni Laconico stylo.

METHODUS 3tia.

De Tropis.

TRopi ut ornant, ita & amplificant sententiã. Quàm enim pulchræ fiunt expolitiones per Allegoriam? nec synecdoche nec Metonymia, Antonomasia, Ironia, inferiores; Patebit hoc in libro praxium: modo aggredior Troporum naturam, & divisionem exponere.

Tropus est verbi vel sermonis à propria significatione ad impropriam cum virtute translatio. Tropi alij sũt in verbo, alij in sermone. In verbo septem: Metaphora, synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopæja, Catachresis, Metalepsis. In sermone 5. Allegoria, Periphrasis, Jronia, Hyperbaton, Hyperbole.

Metaphora est verbi propter aliquam similitudinẽ à propria significatione ad impropriam trãslatio. Fit modis 4. ab animatis ad animata. vg. *volucre ingenium*, 2. ab inanimatis ad inanimata, vg. *Fluctuant aristæ*. 3. ab animatis inanimata. vg. *disertus calamus*, 4. ab inanimatis, ad animata vg. *mens ferrea*.

Synecdoche est un9 rei ex alia ob aliquã proportionẽ illatio, seu intellectio. Octo fit modis. 1. totũ pro parte, *urbs balistis quassa* pro muro, 2. pars pro toto, *cæpere incendia muri,pro urbe* 3. Unũ pro pluribus, *latebras Thrax respicit Hæmi*, pro Thracib9 4. plura pro uno. *Annibales non multos Africa Romæ opponit*, pro Annibale. 5. Species pro genere, *Sub clypeo stat tutus Achilles*. Id est, in armis. 6. genus pro specie; *Coronata volucris* pro Aquila. 7. Antecedentia pro consequentibus. *Ater temerat Neptunia Pergama fumus*, pro igne. 8. Consequens pro Antedẽti; *Grave fert in pectore lethum*, pro vulnere.

Metonymia est unius rei per aliam vicinam connotatio. Fit 4. modis. 1. causa pro effectu; *Auro propinata salus* pro aureo cratere. 2. Effectus pro causa.

Posse-

Possedit mœnia pallor pro morte. 3. continens pro contento: *Magno cratere gravatus* pro vino. 4. contentum pro continente: *Redimitæ floribus undæ*, pro fonte. 5. Signum pro re signata, *Premunt sua fata coronas*, pro Regibus aut regnis.

Antonomasia est nominis pro nomine positio. Fit 5. modis. Apellativum pro proprio nomine. Ut *Romanus orator*, pro Cicerone. 2. Proprium pro apellativo. vg. *Alunt multos præsentia sæcula Cresos*, pro divitibus. 3. Inventor pro re inventa. vg. *Comminuunt Cererem saxis*, pro frugibus. 4. Definitio nominis, pro nomine proprio, vg *Ex cineribus Ilij Phœnix renatus*, pro Ænea. Ethymon nominis pro nomine. vg. *Inconcussa Ecclesiæ petrâ*, pro Petro.

Onomatopæja est nominis aut verbi ad rem melius t exprimendam confictio. *bos boat, bariunt barri*; non est in usu.

Catachresis est vocis abusio. vg. *pro fluctibus aquæ montes apud Virgiliũ.*

Metalepsis est nominis pro nomine à remotiori circũstantia trãsumptio. *Vt messes*, vel *aristæ pro annis*.

Allegoria eſt oratio aliud verbis, aliud ſenſu ſignificans. Triplex eſt, pura, mixta, & compoſita. Pura, quæ ſola verba tranſlata continet. vg. *Ne tua, quæ non vis pulſa ſit ægra ratis.* Id eſt, ne eas, quo nolis. Mixta, cùm verbis proprij ſenſ9, verba tranſlata permiſcentur, vg. *Clemētiæ ſerenum raro ſinè nubilo ſeveritatis.* Compoſita, cum ſeorſim ſenſus proprius, & pariter tranſlatus ponitur. vg. *Aureos Pactoli amnes quis exhauriat? quis regiæ manus liberalitatem recipiendo attenuet.*

Ironia eſt quædam illuſio, quando nō tantum aliud verbis, aliud ſenſu denotatur, ſed etiam contrarium. vg. *Quot cædis acervos Teucrorum tua dextra dedit?* id eſt, nemo tua manu cecidit.

Periphraſis eſt oratio, cum quod paucis dici poſſet, pluribus effertur. vg. naufragum ita deſcriberes. *O! deteſtabile lucrum, quô, non mortalia pectora cogis? gratius avaro propolæ inter ſcyllas & charybdes periclitari, quàm tranquillâ licet tenui ſorte gaudere, mi eræ merces, quas vitæ diſpendio mercari neceſſe eſt. Sed jam tandem ſpes ſcopulo affixa tentatorum toties audaciam æquorum luit. Remis ſæpius verberati, ideoq;* of-

offensi propolis fluctus tabulam naufrago surripiunt, cujus opinione littus exportaretur. Errat miser inter spumosos vortices, & colludentes tempestate Delphinas, cui hominum consortia desipuere; fluctuat in liquido Tethyos marmore, cui firmum terræ elementum parum securitatis dederat, &c.

Hyperbathon est verborum permutatio elegantiæ alicujus causâ. vg. quo cũ, *loco* cũ quo; dupliciter fit, perversione, cũ vox quæ deberet præcedere, postponitur, *Nox mihi nulla fuit, te sine, nulla dies.* 2. Trajectione, cum vox aliqua, aut sensus interponitur cæptæ orationi vg. *Te ego, cujus honor omne fastigium excessit, maximum veneror.*

Hyperbole est supra fidem rei expositio, vel augendo, vel minuendo vg. *Gorgonem in ejus magnitudine adorat.* Itẽ; quid *minores nos athomi ad Tuæ Capitoliũ gloriæ?* Quam nobilissimæ sint, per supradictos Tropos amplificationes videre licet in libro praxium. Tomo 2do.

METHODUS 4ta.

De Figuris.

Figuræ pariter ut Tropi non magis

ornatui, quàm amplificationi ut a ho-
mæ, ita & minori,, vocis, & ſententiæ
ſerviunt, harum igitur naturam & di-
viſiones percurremus. Figura eſt for-
ma dicendi remota à communi & pri-
mùm ſe offerente ſermone.

Aliæ ſunt Figuræ verborum, aliæ ſen-
tentiarum.

Figuræ verborum triplices ſunt, per
adjectionem, per detractionem, & ſimi-
litudinem.

Per adjectionem, hoc eſt, cum verba,
aut nomina cumulantur, quæ non erāt
in ſententia, ornatûs gratiâ; ſunt 9.
Repetitio gr, Anaphora, cum ab eo-
dem verbo plura inciſa ſeu membra,
ſeu commaticæ periodi incipiunt. vg.
*Date mihi alterum Annibalem, qui Alpiū
prærupta, date Xerxem, qui Athon, date
Alcidam qui Calpen, & Abylon is ape-
riant trophæis.* Fit alio modo Repeti-
tio per Epanalepſim, cum eadem prin-
cipium ſententiæ, & finem occupat. vg.
auro exercitus coaleſcunt, diſſolvūtur auro.

Converſio gr. Antiſtrophe eſt, in qua
idem verbum, ſeu vox in fine repeti-
tur, vg. *Securitati publicæ proſpicere de-*

ſide-

ſideras? proſpice armis, Conſiliorum eventus tueri? tuere armis, Limites propagare? propaga armis.

Complexio gr. ſymplocè, eſt, quæ repetitionem, & converſionem ſimul cõplectitur. vg. *Quid nos perdit? opes; quid benè tutat? opes.*

Conduplicatio gr. Anadiploſis, eſt, cum unum idemq; verbum ab initio ejuſdem periodi vel immediatè, vel mediante aliqua brevi parentheſi repetitur. vg. *Virtus, licet id nomen Therſites odit, virtus primum ad faſces calculum obtinuit.*

Traductio gr. Poliptote eſt, cum idem nomen, aut verbum, ſæpius mutatis caſibus, aut temporibus, numero, aut genere, in oratione ponitur, vg, *Primus ſit labor principis, nè cives onere tributorum laborent. In ſecuris: metus, in metuendis ſecuritas.*

Incrementum gr. Auxeſis eſt, cum ab infimo ad ſummum gradatim pervenit oratío, vg. *Ignea heroum virtus perrumpit acies, frangit mœnia, ſiccat æquora, eluctatur in montiũ apices, ut inter ſidera victoriam aſſerat.*

Gradatio. gr. Climax eſt, cū de verbo in verbum quaſi quibuſdam gradibus aſcendimus, ita ut proximum antecedens repetatur vg. *Inſtas, cedit honos; cedis violentior ambit, ambis, ille fugit, ſuffugis, ultro venit.*

Congregatio gr. Synonymia, eſt cum verba idem ſignificantia in unum textū orationis congeruntur. vg. *Cladibus, calamitate, diſturbijs, laboribus, ærumnis maſcula gaudet exerceri virtus.*

Multicopula gr. Poliſyntheton, eſt ſchema multis conjunctionibus abūdans vg. *Et ſago, & toga, & pace, & bello, & armis, & amoribus populi heros inſignis.*

Privatio gr. Ecclypſis in qua ſuppreſſum aliquod verbum intelligitur ex alijs. vg. *Caſtrenſes illi vigiliæ, in volupia, æſtus, in refrigerio.* Subintelligitur, ſunt.

Diſſolutio gr. Aſſyntheton eſt cum demptis conjunctionibus plura dicuntur. vg. *Aris, urbibus, aulis, imperijs, perniciosa eſt ambitio.*

Adjunctio gr. Zeugma eſt, cum Plures ſenſus uno verbo copulātur vg. *Regnū urbibus, urbes Civibus, Curiā legibus, regiā probis moribus, pius Princeps, implevit.*

Diſ-

Disjunctio gr. Dyalithon est, cum eorum, de quibus dicimus, unum quodq; certo clauditur verbo. vg. *Excidit urbes, prostravit mœnia, cædibus decoloravit fluvios, ut civium securitati consuleret.*

Articulus gr. Analiton, est cum singula verba, aut nomina, aut adverbia intervallis distingvuntur. vg. *Puer, jam dotibus maturus, vir meritis ultrà ætatem provectus, senex, corona fuit Procerum.*

Membrũ gr. colon, est cum res breviter absoluta, alio sensu orationis excipitur. vg. *Vt securus honoribus fruaris, consulo, magistra virtute utere.*

Annominatio gr. Paranomasia est, cũ aliquantum immutata verba, aut deflexa in oratione ponuntur. vg. *Vbi curæ? nisi in Curia.* Fit 4. modis. 1*mo.* Adjectione; *ut deleantur delicta, lachrymis adoleatur.* 2. Detractione; *in Amuletho sæpè lethum.* 3. Mutatione; *Manna Israeli pro mamma..* 4. Translatione; *donat Curias, qui Curtos muneribus donat.*

Similiter cadens. gr. Homæoptoton, est cum similibus Syllabis casus terminantur. vg. *Hostem obruit cædibus, regnũ muneribus, orbem laudibus.*

Similiter desinens gr. Homæoteleutō est, cum verba parem habent exitum. vg. *Quocunq; Aquilas movit, hostem emo vit, quot prælia intravit, tot campos funeribus stravit.*

Compar gr. Isocolon est, dum membra, vel incisa pari ferè numero syllabarum constant. vg. *Sorbentur cum gregibus populi, cum populis corruunt urbes, cum urbibus interit orbis.*

Contrapositum gr. Anthiteton, est, cum contraria contrarijs opponuntur. vg. *Belli faces extinxit Pactolo, auro ferrum edomuit.*

Commutatio gr. Analysis, est, cum una sententia nascitur ex alia sibi contraria. vg. *Exilio scelera mulctavit, ut innocenti Patria donaret,* vel. *Tyrannum coram Civibus, exuit, nè Cives sentiret in se tyrannos.*

Abscissio gr. Aposiopesis est, cùm dictis quibusdam reliqvum præscinditur. vg. *Quæ ex arena belli collegisti serta, quod jugulos Thracibus præcidisti, quantis Arcton effudisti sudoribus, dicāne ampliùs? sed honor tuus alio facundiam evocat.*

Acclamatio gr. Epiphonema est cum pro-

probatas res, & enarratas vehementiori affectu exclamat orator. vg. *Tanto Civium dispendio servantur Cives.*

Brevitas gr. Bracylogia, est cum res ipsis tantũ necessarijs verbis expeditur. *Prudens puer, effæminatus vir, ferus senex.*

Communicatio gr. Anacænosis est, cum orator alios consulit, aut cum illis deliberat. vg *Docete me castra, quæ magnanimus heros laureis implevit, quo ejus virtus digno exornetur elogio? Docete Senatoriæ curules, quæ sidera Patriæ consilij: accedit? Sed vobiscũ mihi maxime res est, Cælestes aræ, dicite, quod Xenijs oppressæ fuistis.*

Cõmoratio gr. Epinome, est, cum in eodem loco, quo tota res cõtinetur longius cõmoratur orator, eoq; sæpius redit. vg. *Te Phœbus, te Musa colit, te docta stagyræ laurea, te Princeps multum cõmendat Aquinas.*

Concessio gr. Epitrote, est, cum aliquid licet iniquũ, videmur, causâ fiduciæ concedere. vg. *Demus, quod tota Barbaries in nos effundatur Bosphoro, & Mæotide, Asiam extrahat, nihil hæc Rempublicã sub Ajacis sui clypeo tutam percellent.*

Conclusio gr. Epilogus quæ brevi argu-

gumētatione ex ijs, quæ antè dicta sunt, infert id, quod necessariò sequitur. vg. *Tolle igitur literas, felicitatē regnorū sustulisti.*

Conformatio gr Prosopopæja, est, cum aliqua res muta, vel informis inducitur loquens, vel habens formam vg. *Vis imaginem calamitosi statûs regni tibi demonstrem? Exhaustus genas, oculos sanguine suffusa ambit corona fronte neglectâ; ore in querelas composito, ita fatur; Nemo est tàm bonus, qui me eximat malis, at illachrymari saltim ruinis poterit:* &c.

Congeries gr. Synatroismus, est, coacervatio vocum similium, eruditionum. vg. *Quod adamas in coronis, gemma in annulis, murex in purpura, sol inter planetas, luna inter stellas minores, aurum inter metalla* &c. *hoc in Principibus est eruditio.*

Correctio gr. Epanarthosis, est, quæ verbum vel integram sententiam corrigit, aut tollit. aliam substernens vg. *Trophæis illustrasti Europam, emenda lingva, orbem dicere debueras.*

Definitio gr. Orismos est quæ alicujus rei proprietates breviter absolvit, seu propriè seu metaphoricè. vg. *Securitas publica sunt secures; gemma Coronarum,*

rum, unio populorum; illa vera Majestas, cui plurimum licet, minimum libet.

Demonstratio, gr. Phantasia, cum ita res sermone exprimitur quasi geri ante oculos videatur. vg. *Eo illum fervore animi sic ignescentibus oculis, agili & exerta manu, projecto in tela pectore, imaginare, ut vitam magis prodigere, quàm tueri videatur.*

Deprecatio gr. Dexis est, cum auxilium alicujus implorat orator, vel animũ iratum demulcet. vg. *Parce precor Libithyna ferox juvenilibus annis, intactum patriæ nobile redde jubar.*

Descriptio gr. Hipotyposis est, cum aliquid non aliter effertur, ac si oculis cerneretur, vg. *Armata casside canities, niveo ad coronam præludebat calculo, frons corrugata Marte, imperiali sedem firmabat tæniæ, accensa flamma bellica oculi, & facies ignea serenum Regij honoris portendebãt.*

Dialogismus latinè Colloquium est, cum orator secum, quasi cum aliquo discurrit, rationatur per interrogationes & responsiones. vg. *Arma priùs referam? civilis gloria præstat. Justitiæ palmas, & largæ munera dextræ expediam? mansueta vocat mea carmina virtus.*

Dimi

Diminutio gr. Litois est cum aliquid nobis in industria, fortuna, natura deesse affirmamus modestiæ gratiâ. vg. *Obruor emenso decumanæ gurgite laudis.*

Disputatio, cum orator disceptat cum aliquo. vg *Quid id est? cælum sceleribus patet. Negabis? quid illæ aureæ Persei stellæ? quid minax ense Orion? quid Hercules? quos inter sidera posuit superstitio.*

Dissimilium conflictus, cum plura dissimilia in oratione congregantur. vg. *Mutuis ut gladij & sarculi, castrorum & rastrorum, clypei & vomeris, hastæ & lyræ balistæ & ciratri officijs, ut proteguntur, sic aluntur imperia.*

Divisio gr. Dyalima est, quæ rē semovēs à re, utrāq; ratione subjectâ absolvit, vg. *Erroris nomen nō criminis ista videtur.*

Dubitatio gr. Apolia est, cum orator ambiguus existens, quid potissimū dicturus sit, quærit ex aliquo. vg. *Nescio quæ tantos par est recitare triumphos Musa? vel unde priùs bellaces inchoet æstus.*

Effictio gr. Characterismus, est, cum effingitur & verbis exprimitur corporis alicujus forma. vg. *Pingit Flora genas misto cum sanguine lacte.*

Enu-

Enumeratio est, cum summatim aliquid colligitur, sive ad amplificandam orationem, sive ad rem augendam. vg. *Tecta ruunt, celsæq; domûs fluit aureus imbrex, æthereas turres, & mœnia Mulciber ambit.*

Ethopæja latinè Imitatio, est, cum viva persona sive præsens, sive absens inducitur loquens. vg. *Audire erat Principem in media arma provectum, hæc tuæ heroicæ virtuti præconia dantem, secura gloriæ Majestas, pro qua ejusmodi dimicant Athletæ; non plus Xerxi Zopyrus, aut Lysimachus Alexandro præstiterunt.*

Exclamatio gr. Ecponosis, est qua dolor vel indignatio dicentis exprimitur, aut augetur, per hominis loci aut rei alicujus compellationem. vg. *O! dolor extremâ jam langvent lumina nocte.*

Execratio gr. Arcia est, cum aliquem abominatus orator malum ei imprecatur. vg. *Illum flamma rubens irati fulminis inde inde premat, Tytius depascens viscera vultur.*

Exemplum gr Paradigma est alicujus facti, vel dicti præteriti ad rem nostram applicatio. vg. *Liberalius ei opulentior cu-*

nas

nas instravit fortuna, quam suo Jupiter Perseo, cui auream in fascias tempestatem fudit.

Expeditio gr. Apophasis est, cum rationibus pluribus enumeratis, quibus res aliqua fieri aut non fieri potuit, cæteræ una relicta, cui intendimus, tolluntur. vg. *Bella gerimus non evanida spe lucri, non opulento spoliorum illicio, non regnorum ambitu, unica adipiscendæ gloriæ orexi incitati.*

Expolitio gr. Tautologia est, cum in uno loco subsistēs orator, aliud atq; aliud dicere videtur vg. *Nunquam fixa stetit longis victoria sertis, transferet hinc talis, quas tibi donat opes, mox ubi sublimes augem tetigêre triumphi; Ipsa mole sui, dis senuêre, cadunt.*

Frequētatio gr. Anacephalesis est, cū res in tota causa dispersæ, ad unum locum cogūtur, quo gravior & acrior fiat oratio. vg. *Brevibus perstringam, in toga nemo argumētis nervosior, in sago nemo hostium detrimentis prolixior, in curijs nemo acuratior, in castris nemo acrior illo.*

Imago gr. Icon, est forma cum forma per quadam similitudinem collatis, convenit cum allegoria. vg. *Ceu Leo magnanimi, gaudet nisi cæde cruoris.*

Incre-

Increpatio, est, cum orator indignitate alicujus rei motus perstringit adversarium. vg. *Cœlũ detonet in tuũ scelus, infame caput, obruãt fulmina, nox atra Erebi omnem tibi prorsùs eripiat lucem, o! perdite mortalium.*

Interclusio gr. Parentesis, est, cũ cæpto sermoni, aliquis medius sensus interponitur vg. *Multa sagô (quod pœnè solet contingere raris) multa togâ (quod vix fas memorare) tulit.*

Interpretatio gr. Epexegesis cum eadem sententia alijs, atq; alijs verbis effertur, enucleationis gratiâ. vg. *Celeri Marte plurimas subegit acies, id est Miles innata sibi agilitate pugnavit.*

Interrogatio gr. Erotesis, est, quoties non sciscitandi gratiâ, sed instandi urget aliquẽ ad responsum orator vg. *Dic precor hic cassés, dic, quæ te vulnera torqvẽt.*

Licentia gr. Panæsia est, cum aliquid audacius profert orator favori auditoris aut causæ æquitati confisus. vg. *Vindices cœli in te evocabo flammas, permittam mordacis satyræ acumini fræna; Cur enim sileam, cui jus & æqvum adstipulatur.* v. *Exarsit verbo parcite, bardus erat.*

Notatio gr. Mimesis, est, cum alicujus natura certis definitur signis, vel cũ nominis explicatur significatio. vg. *Tartaros, quid aliud quàm Tartarorum mancipia dixeris.*

Obsecratio, est, cum aliquid vel suo, vel alterius nomine orator ab auditore expostulat. vg. *Vos bellatrices aquilæ, vos castra, te ensis, te umbo adjuro, ut serves animæ dimidium meæ.*

Obtestatio, cnm alicujus fides, conscientia, religio adjuratur, ut id, quod intendit orator, obtineat. vg. *Musarum per suave decus, per sidera posco.*

Occupatio gr. Prolepsis, est, cum id quod objici possit oratori, ipse præoccupat, & refellit. vg. *Quæ in nos tela parantur, novi, Musarum otio emasculari heroicam indolem, Apollineæ chely assvetas, ferream belli testudinem abhorrere manus asseres? At scias Homericæ Iliadi Macedonẽ victorias debuisse.*

Optatio, est, quæ animi desiderantis sensum exprimit. vg. *O! mihi Tarpejos liceat si viscere colles, inde tuas totum laudes molirer in orbem.*

Percontatio est, cum quidpiam ex aliquo

liquo orator inquirit. vg. *Edissere barbaro etiam murmure Thrax Gradive quoties fulmineam heroum exhorruisti manum!*

Permissio gr. Antanagosis, est, cum orator causæ fiducia aliquid auditori concedit. Eadem est hæc figura cum Concessione, ubi vide Exemplum.

Petitio est Schema, quo aliquid, à quopiam expetitur. vg. *Vnicum libertati date, precor superi, patrio veniant de sanguine Reges.*

Postulatio eadem est cum petitione.

Præcisio gr. Parasiopoſis, cum dictū aliquod vel sensus interrumpitur, & alius sensus subjicitur. Eadem est cū Abscissione. *Quos ego; sed motos præstat componere fluctus.*

Prætermissio, cū id quod maximè inculcat, fingit se nolle dicere orator. vg. *Vt taceam quæ bella foris, quæ serta meretur, officio Patriæ quantos formatur in usus.*

Personarum ficta inductio. gr. Idolopæia est, cum quispiam mortuus instar vivi, loquens inducitur, vg. *Pallidus, exanguis, caniſq; rigentibus algens, ex urna tumuloq; senex his increpat orbem: Quæ rerū facies? quæ mundū turbat Alecto?*

Ratiotinatio gr. Erotema, per quim nos ipsi à nobis rationem exigimus, quare quidvè dicamus. vg. *Literasnè perenni extrà orbem mulctabimus exilio? cur ita? quia uni Licinio pestis instar habitæ? quid illæ noxij quid metuendi pariunt? quæ eruditis nomen immortale educant.*

Rejectio gr. Apodioxis est, cum quid quasi impar aut indignum, aut superfluum rejicitur ab oratore. vg. *Non ego Pierides, non Delia numina curo, te carmen replente meum.*

Reticentia est, cum aliquid dicere volens, aut incipiens orator aliquam ob causam subticet. vg. *Dicam quid in armis egeris; sed alia tibi serta Curia nectit.*

Sententia gr. Gnome est, brevis exornatio, quæ aliquid ad humanæ utilitatē vitæ enuntiat. vg. *Hæc est regum conditio facere, non essè felices.*

Sermocinatio est, cum orator alicui personæ attribuit sermonem, & sibi ipsi respondet. vg. *Ivitnè hosti, tot imminentibus periculis obviam? imò evolavit.*

Significatio gr. Emphasis; est, cum plùs in suspicione relinquitur, quàm positum est in oratione. vg. *Te dixissē, sat*

am-

ampla oratio. v. *Credo tibi melior bibliotheca caput.*

Similitudo gr. Parabola, eſt, oratio aliquid ex re diſpari ſimile inducens vg. *Vmbra ſolem, honor comitatur virtutem.*

Subjectio gr. Antiphora, eſt, cũ orator ſeipſum aut quempiã aliũ, interrogat, & nõ expectato reſpõſo ipſe ſibi reſpõdet; illa egregia eſt, cũ ſtatĩ ratio reſponſi datur. vg. *Literarũ quæris pretiũ? nulla examinari poterit lance, minoris gloriæ metalla ponderantur, gemmæ bilancis judicium non ferunt.*

Suſtẽtatio gr. Paradoxon eſt, Schema, quo auditorũ ſuſpẽditur animus; vg. *Ab unda lachrymarũ quid expectaveris? vitiorum cataclisſmum? ſtygij Plutonis naufragium? dicã ego mite incendiũ amorũ Divini.*

Tranſlatio gr. Methartoſis eſt, quãdo id, quod dictum eſt, breviter repetit orator, & paucis, quod dicendũ ſit proponit. vg. *Hactenùs hoſtili perfuſos ſangvine campos attigimus, mollis temperat arma chelys.*

ATHOMUS 5*ta.*
De Amplificatione Majori.

ATHomi minores creſcunt, ubi cõglo-

bantur: Crescit & nostra amplificatio; Laconicæ brevitati, quæ maximè in parvis ejusmodi, de quibus egimus amplificationibus, exercetur, succedit Tulliana amplitudo, quam orationes majores exigunt, sed quia ad eam eloquentiæ majestatem non ita facile perveniri potest, præmittendæ sunt præexercitationes, de quibus sit methodus sequens.

METHODUS 1ma.

De Præexercitationibus ante orationem majorem, seu Progimnasmatis.

PRogimnasma est præexercitatio ante orationem majorem.

Ad triplex genus causarũ reducũtur: Deliberativũ, demõstrativũ & Judiciale.

Genus causarũ deliberativũ est, quædam rerũ indifferentiũ ventilatio, quinquè habet species; Fabulam, Narrationem, Chriam, Sententiam, Thesim.

Fabula est sermo falsus veritatem effingens; Triplex est; Rationalis, cum animalia prædita ratione ut sunt homines fictioni inducuntur. Moralis, cum animalia ratione carentia, mores hominũ imitantia fabulam adornant. Mixta, cũ rati-

rationalia, irrationalibus permiſcentur. Tractatur duobus modis, preſsè, & prolixè. *Prolixè* tractata, conſtat 9. partibus. 1. Laude authoris, unde formatur exordium. 2. Præfabulatione, qua intentio Authoris declaratur. 3. Naturâ animantium in fabula contentarum. 4. Sermocinatione mutuâ. 5. Collatione fabulæ, cũ alia ſimili. 6. Re aliqua cum fábula paritatem habente. 7. Authoritate ſeu teſtimonio alicujus authoris. 8. Exẽplo. 9. Epilogo in quo hortatur, aut dehortatur orator auditores ad aliquid amplectẽdũ, vel non. *Preſsè* conſtat 2. partibus. Narratione, quæ fictionẽ ediſſerit; & affabulatione, quæ elicit doctrinam è narrata fabula.

Narratio, eſt rei factæ, vel tanquàm factæ, expoſitio. Fit per particulas verſu ſolito expreſſas; Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo. Additur exordium breve, erutum ex ſenſu hiſtoriæ, atq; Epilogus adhortationem, aut è contrà complectens.

Chria eſt præexercitatio, qua alicujus perſonæ factum, aut dictum aut utrumquè humanæ informationis celebratur.

Triplex eſt; Activa quæ facinus aliquod exponit. Verbalis, quæ dictum alicujus commendat. Mixta, quæ utrumq; conſiderat. Tractatur 8. modis. 1. Exordio, in quo author dicti aut facti, aut utriusq; laudatur. Expoſitione mentis authoris in facto, dicto, aut utroq; 3. Causâ, id eſt probatione. 4. Contrario. 5. Simili. 6. Exemplo. 7. Sententiâ Authoris. 8. Epilogo, in quo laudato breviter Authore, ſuadetur aliquid imitandum, aut fugiendum.

Sententia eſt alicujus ſapientis effatum, quod exhortationis, vel dehortationis causâ per certos modos ab oratore ampliatur. Ijſdem modis tractatur quibus Chria, ſed hic melius à laude sẽtentiæ, quàm authoris fiat exordium.

Theſis eſt alicujus rei inveſtigandæ per orationem ventilatio. Oratoribus dicitur quæſtio infinita. Quadruplex eſt. Civilis, quæ actionen hábet Reipublicæ accomodam; Cõtemplativa, quæ ad ſolam ſpeculationem ſpectat. Moralis, quæ mores concernit. Scholaſtica, ad quam omnes Academicæ quæſtiones pertinent. Tractatũr 3. modis. Proœmio,

mio, quod eruitur ex ipſo ſenſu Theſis. 2. Confirmatione, quæ fit à legitimo juſto, utili poſſibili. 3. Epilogo, in quo aliquid ſvadetur, vel diſſvádetur.

Genus cauſarum demonſtrativum, eſt quod circa laudem aut vituperium perſonarū, aut rerū verſatur. Quinq; ſpecies habet: Laudem, Vituperiū, Imitationē, Comparationē, Deſcriptionem.

Laus gr. Encomion eſt oratio, bona alicujus enumerans. Tractatur modis 4. Procœmio, quod fit plerumq; à laude bene meritorum. 2. Laude à genere, natalibus, educatione, rectegeſtis, virtutibus deſumpta. 3. Comparatione hiſtorica rei aut perſonæ. 4. Epilogo, qui fit vel ab excuſatione ſuæ tenuitatis, quod impar ſit tantæ laudi, vel gratulādo perſonæ eam dignitatem meritorū.

Vituperium, eſt ſermo exaggerans mala alicujus rei vel perſonæ, quæ illi ſunt inſita. Tot modis & ijſdem, ſed à contrario tractatur. Procœmio, vituperio, Comparatione, Epilogo.

Imitatio eſt præexercitatio, quâ vel homines tàm vivos, quàm mortuos, vel res mutas, ac informes loquentes indu-

cimus; Tres habet ſpecies: Proſopopæiam, quâ rebus inanimatis, Idolopæiam, quâ mortuis ſermonē tribuimus. Ethopejam, quæ viventis perſonæ motus & affectus demōſtrat; Tractatur 3. modis. Tēpore præterito, præſenti, & futuro.

Comparatio eſt, oratio ex collatione rerum comparatarum, aliquid majus, vel minus, vel æquale declarans. Tractatur 1. brevi exordio quod ex eruditione eruitur. 2. Laude Parentum, Patriæ, educationis, rei geſtæ, mortis. 3. Epilogo, in quo ſenſus moralis ex eruditione erutus laudatur.

Deſcriptio eſt, ſermo diductus, quo res ita exprimitur oratione, ut ante oculos eſſe collocata videatur. Ordo in deſcriptione obſervari debet, ut à primo incipiat, & in ultimo deſinat.

Genus cauſarum Judiciale eſt, in quo accuſatur, vel defenditur quiſpiam. Species Generis Judicialis ſunt 5. Confirmatio, Confutatio, Cōciliatio, Locus communis, Legislatio.

Confirmatio eſt, rei poſitæ probatio; Tractatur 8. modis. Exordio ſeu acceſſu quodam ad rem ex laude facti, dicti,

opi-

opinionis &c. 2. Manifesto, cum res clara & evidens rationibus, testimonijs authoritatibus demonstratur. 3. Possibili. 4. Probabili, utrumq; per se patet. 5. Cohærenti, id est à circumstantia aliqua necessarò rem vel actum concomitante. 6. Decoro. 7. Utili, per se patet. 8. Epilogo, qui fieri solet perrecapitulationem dictorum, cum deprecatione sententiæ affirmativæ.

Confutatio est, oratio quæ rem affirmatam debilitat, & infirmat. Tot modis, quot confirmatio tractatur, sed cõtrarijs. Exordium à vituperio fit, argumenta ab obscuro seu incerto incredibili, impossibili, inconvenienti deducũtur. In Epilogo petitur sententia negativa, seu destructiva affirmativæ.

Conciliatio est oratio, quæ duas sẽtentias invicem pugnantes ita componit, ut ipsam veritatem attingat. Tractatur 5. modis. Prooemio, quod alludit ad utramq sententiam. 2. Expositione, quæ rei seriem exponit. 3. Declaratione, quæ explicat sentẽtias. 4. Amplificatione, quæ continet rationes, authoritates, testimonia, exempla. 5to. Epi-

Epilogo, qui conciliat ſententias.

Locus communis, eſt oratio bona vel mala, quæ alicui inſunt, augmentans. Tractatur 6. modis. Legitimo, juſto, utili, poſſibili, honeſto, eventuro, quæ omnia per ſe patent.

Legislatio eſt oratio qua lex aliqua vel confirmatur, vel infirmatur. Tractatur 6. modis. Procemio, a laude Legislatoris vel vituperio, Legitimo, Juſto, Utili, Poſſibili, & Epilogo, qui ſvadet, ut bona lex ſervetur, mala reprobetur.

Exẽpla Progymnaſmatũ hic non ſubjicio, nè prolixitate in præceptis peccẽ, ſed in libro praxium Tomo 2. ea leget; cui animus vidẽdi artificiũ non deerit.

METHODUS 2da.

De Apparatu Amplificationis Majoris *ſeu de natura, & partibus Rhetorices.*

RHetorica eſt ars benè dicendi. Alia eſt docens, quæ dat præcepta, ſecũdũ quæ Orator lucubrationes ſuas format. Alia utẽs, quæ præcepta in praxim reducit, & ſortitur nomẽ eloquentiæ.

Quia verò dixi Rhetoricam eſſe artẽ, ſciẽdum eſt, quid ſit ars? Eſt ergo ars, mo-

modus, rebus cognitis, perſpectiſq; & nunquã fallẽtibus, procedẽdi in aliquo opere. Ars aut eſt liberalis, id eſt ſcientiarũ, quæ trito hoc verſu exprimuntur.

Sermo, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra

Aut Mechanica id eſt opificum, quos hoc pentametrum comprehendit: *Rus, acus, ulna, faber, vulnera, lana, rates.*

Officium Rhetoricæ Docentis eſt, docere, ut Orator appoſitè & ornatè, moveat & perſvadeat. Utentis ornare, movere, & perſvadere dicendo.

Finis Rhetorices eſt bonis & ſufficientibus præceptis ſuis informare oratorem; Finis internus oratoris eſt benè dicere, externus, id aſſequi dictione, quod intendit mente.

Benè dicere verbis ſelectis, ſententijs gravibus, ſervato dicendi artificio rem exprimere.

Secundo diviſio Rhetoricæ eſt in Naturalem & artificialem.

Naturalis cœli clementiâ infunditur. Artificialis, ſtudio & labore ſecundùm leges traditas ab Authoribus comparatur.

tur. Authores Rhetoricæ: Mercurius, Aristoteles, Cicero.

Eloquentia quæ & Rhetorica Utens, est ipsa ornata, docta, persvasiva orationis compages.

Comparatur eloquentia his, quos versus exprimit, modis:

Lectio longa, labor, fasti, tùm Carmen & usus.

Objectum seu materia Rhetoricæ docentis, sunt præcepta. Utentis quæstio ad dicendum proposita.

Quatuor igitur Oratori ad bene dicēdum observanda. Quæstio, Status, Crinomenon, & Causa.

Quæstio, est disquisitio duorum aliàs contrariorum sensuum; semper enim quæstio oritur ex duabus diversis imò & contrarijs propositionibus. vg. An dies sit melior, quâm nox; an nox utilior, quàm dies. Quæstio alia est infinita quæ vocatur Thesis, cum generalibus terminis constat propositio. Alia finita seu hipothesis, cum de re certa, & circumstantijs designata sermo est.

Status causæ est, ex conflictu duarū propositionum unius constitutio. Tri-

plex

plex est status; Conjecturalis, cum aliquo signo, aut suspicione, aut ab utroq; determinatur sententia; Definitionis, sive nominis, ubi, quo nomine sit res vocanda decernitur. Qualitatis, dum qualiter sit agẽdum vel sit aliquid, statuitur.

2. Alius est status Absolutus, in quo aliquid absolutè, non sumptis aliunde rationibus, probatur. Alius Assumptivus, cũ extrinsecæ rationes adhibentur.

Crinomenon, est id, quod maximè propositionem probat, & ab auditore maximè observandum, ut sententiam ferre possit de re proposita.

Causa est illa ratio, quæ causat conclusionem, propriè est una ex propositionibus contrarijs, quarum ex conflictu quæstio oritur.

Inter causam & crinomenon differentia est, quod causa sensum generalem, Crinomenon, specialem inferat.

Jam ad partes Rhetoricæ descendamus, quas cõmuniter Rhetores assignãt. 5. Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Actio.

Invẽtio est argumẽtorũ probãdæ propositioni deserviẽtiũ, subtilis indagatio.

Di-

Dispositio est inventorum argumentorum coordinatio.

Elocutio est ornata periodorum, troporum, figurarũ, sententiarum, in textu orationis combinatio. (donatur.

Memoria & Actio, naturæ beneficio

Dispositio partium orationis majoris fit per Argumentationes, de quibus egimus suprà Athomo 4ta.

Elocutionis supellex petatur itidem ex suprà dictis de Tropis, periodis, & figuris.

Invẽtio Argumẽtorũ fit per locos intrinsecos & extrinsecos, de quibus sit.

METHODUS 3tia.

De Locis Intrinsecis & Extrinsecis *Inveniendorum argumentorum.*

Loci intrinseci inveniendorum Argumentorum, sunt 17.

1. DEfinitio, quæ quidem apud Philosophos genere & differentiâ constat, explicatq; naturam rei, apud oratores verò pro quavis denominatione, seu propria, seu metaphorica accipitur, quæ proprietates rerum designat. Ita diceres: *Maria est speculum Virginitatis*

is sine macula, in quo effigiatur DEVS.

2. Notatio gr. Ethymon, cũ ex vi nominis argumẽtũ eruitur. vg. *Quid enim Maria? nisi Domina universi ex Ancilla.*

3. Cõjugata, cũ ex verbo generis ejusdẽ ratio desumitur. vg. *Maria est pignus terræ nobilissimũ, nihil ex terra Adæ habens.*

4. Genus, quod pluribus rebus specie differentibus propter communionẽ ejusdẽ naturæ cõpetit. vg. *Communis ut Angelorum, ita hominum Gloria, MARIA.*

5. Species est notio, quæ ad multa individua extẽditur. Hinc diceres: *Species Virginitatis suprà genus humanum ascendens Maria.*

6. Differentia est, quâ res eædem genere, diversæ specie designantur. *Hinc Maria, digito Dei pulsata sanctior chelys, orbi fescenninos, Erebo nænias præludit.*

7. Similitudo est, quædam inter res similes affectio. Hinc, *Porta aurea Jubilæi, id est annus gratiæ patens, Maria.*

8. Dissimilitudo, est rerum diversarũ inter se collatarum dissimilis affectio. Hinc. *Sidus Marianum absq; occasu, quem maxima etiam sidera patiuntur.*

9. Causa) quæ suâ vi efficit, cujus est

causa; quadruplex est, ut jam supradiximus, Efficiens, materialis, formalis, & finalis. Hinc: *Fons aquæ vivæ Maria. Causa orbis felicitatum, Mater gratiarum.*

10 Antecedentia, quæ ita sua antecedunt consequẽtia, ut necessariò sequantur. Hinc *Aurora serenos beatitudinis dies portendens, Maria.*

11. Consequentia, quæ sic antecedẽtia consequũtur, ut ab his nunquã dirimãtur. Hinc *Maria, Appendix legũ gratiæ.*

12. Effecta sunt id, quod dimanat à causis. Hinc: *Terra sancta, nihil cum limo Adæ commune ferens, Maria.*

13. Comparatio est rerum diversarũ inter se collatio; fit tripliciter, 1. à majori ad minus. Hinc. *Tres Græciæ Charites inane vulgus, ad unam hanc gratiarũ non sterilẽ Gratiã* 2. A minori ad majus, *Sagittis instructã venatricem Dianam dixero? plus est Gratiarum Mater.* 3. Cum paria paribus conferuntur. *Venustior Pandorâ Maria, cui cœlum in dotes contribuit.*

14. Adjuncta, quæ aliquomodo rei, de qua sermo est, sunt connexa. Hinc. *Corona Judæ, Messis aurea Bethleẽ, Maria.*

15. Repugnantia, quæ neq; certâ lege,

ge, neq; numero inter se diffident, non sunt tamen eadem. Hinc: *E rubro regij sanguinis candorem calculi ad astrorum imperium auspicata, mundi Domina.*

16. Distributio partiũ, cũ totũ in suas partes dividitur. Hĩc. *Promoconda Universi Maria, Civibus Cœlũ terrã muneribus reples.*

17. Contraria quæ inter se ratione & reipsa differunt; quatruplicia sunt 1. Adversa, quæ in eodem plurimũ differunt. Hinc. *Ex Ancilla imperatrix mundi Maria.* 2. Privantia, quando præpositio *in*, privat vocem ea vi, quam haberet si ea caruisset, *justus*, *injustus &c.* Hinc Maria. *Lux mundi, umbrâ maculæ inviolata* 3. Relata, quæ se mutuò respiciunt. Hinc. *Mater viventiũ, filiam erebi, peccati, mortẽ, triumphans.* 4. Negantia quorum unum negat, quod affirmatur ab alio. Hinc *Non moritur, qui Mariæ laudibus immoritur.*

Loci extrinseci, sunt omne id, quod non ex intrinseca causa propositionis, sed aliunde ad probationem assumitur; enumerantur 7. ab authoribus, scilicet: Præjudiciũ, fama, rumor, tormenta, tabulæ, testes, jusjurandum, sed hæc ad Judiciales tantum & criminales causas

 spe-

ſpectare videntur, ego per locos extrinſecos magis deſignare volo circumſtantias loci, temporis, adagia, ſententias, authoritates, apophtegmata, exempla, hierogliphica, emblemata, ſymbola, ſtẽmata, inſignia, fabulas, Apologos, nonnunquam & ſacrum codicem, unde copioſiſſima erui poſſunt argumenta.

METHODUS 3tia.

De Oratione Majori, & Partibus ejus.

HIc ſcopus noſtri laboris, hoc promõtorium vagæ per ſcopulos difficultatum ratis eſto. Amplificationis Athomæ infantia, hîc oratoriã merebitur ſtyli maturitatem; è prætexta Tullij togã. Quæcunq; enim hactenus egimus, in ſuffragiũ Majoris Orationis egim9; eſt ergo

Oratio, contextus eloquentiæ ritè per ſuas partes, & argumentationes diſpoſitus, tropis, figuris, ſententijs exornatus, ad id, ut doceat, moveat, & perſvadeat quidpiam auditori.

Partibus conſtat. 5. Exordio, Propoſitione, Narratione, Confirmatione, Peroratione & Epilogo. Licet enim pars ſexta numeretur Confutatio, ſed ubi in oratione adhibetur confirmatio, locum

non

non habet, unde confirmatio & confutatio ad unā partem ſpectāt, cum aut hæc, aut illa, & non ſimul utraq; ponatur.

Exordiū eſt initium orationis, in quo animus Auditoris ad audiendum diſponitur. Varijs fit modis 1. Explicando neceſſitatē dicendi, quod debita ſint ſua virtutibus encomia, quod honores publici ſint excitamenta Muſarum &c. 2. A Contrarijs, contrarios ſenſus propoſitioni exaggerando. 3. Per Comparationē ſeu ſimilium, ſeu eruditionū. 4. A dicto alicujus Authoris. 5. Ab ipſo ſenſu propoſitionis. 6. A metu dicendi. Plures fœcunditas ingenij offeret.

Propoſitio eſt pars ſecunda orationis, quâ Orator informat auditorē, quid & qualiter ſit dicturus. Fit per allegoriam, per paradoxa, per adagia, oppoſita. Habes exempla ſuperiùs per locos intrinſecos inveniendorum argumētorū data.

Narratio eſt rerum geſtarū, vel quaſi geſtarum expoſitio; alia eſt, inqua argumenta totius orationis congeruntur, alia, quâ per modum digreſſionis utimur. Exornanda figuris, tropis, eruditionibus, ſententijs &c.

Confirmatio, eſt illa pars orationis, in qua propoſitionem ſuam firmis orator corroborat argumentis.

Confutatio, eſt contrariarum rationū diſſolutio.

Peroratio, eſt extrema pars orationis, in qua quaſi victor Orator, affectibus, motibus, commiſeratione, lachrymis, vehementibus figuris, pro exigentia materiæ, inculcat amplectendum auditori, quod ille propoſuit, & probavit.

Exordiū, narratio, Confirmatio, Cōfutatio, commodè diſponuntur per Argumentationes; ſcilicet ſyllogiſmū, collectionē, Inductionem, Exemplum, &c.

In orationibus panegyricis exordium fit plerumq; à modeſtia oratoris, metū quendam profitendo, nè non par ſit oratio, aut virtutibus, aut laudibus heroicis; Item à modeſtia ipſius herois, quod ſuas ægre laudes ferat. Nihilominus & alij modi exordiorū hic locum habent. Ut, ſi eſt propoſitio allegorica, ſtatim in exordio fiat alluſio ad allegoriam. Aliquando à circumſtantijs temporis, loci, Feſti exordia formantur; aliquando ab affectu congruo, à figura vehementiori, pro diverſitate materiæ. In

In confirmatione panegyrica, virtutes, rectègesta, honores, eruditio &c. Mæcenatis, sunt recensenda. Comparatio erudita, seu à majori ad minus, seu à minori ad majus, seu à pari inducēda; Digressiones genericæ ad virtutes, studia, honores, passim inspergendæ, quod uniꝰ cujusq; ingenij fertilitati relinquimus.

Panegyres majores, quæ solent Mecænatibus offerri, plerumq; absq; exordio, aut propositione fiunt, sed statim à laude, dignitate personæ, à rectegestorum enumeratione incipit panegyris. Dispositio tamen panegyricorum esse solet varia. 1. cùm ab infantia, usq; ad eam ætatem, in qua tunc reperitur Mæcenas, procedit panegyris, qui mos maximè Poetarum est. 2. Cùm in certas partes dividitur panegyris, quod ex occasione tituli peroptimè fit; in una vg. parte Virtutes, in 2da Armorū studia, in 3tia honores, in 4ta merita in Rempubl: in 5ta Eruditiones &c. plures, vel pauciores pro libitu partes, ponendo, 3. Incipi potest panegyris ab actu aliquo heroico, cujus causâ offertur illa panegyris. 4to. Potest & à metu inchoari, qui

na-

naſcitur ex ingenij tenuitate, vel è contra ſine metu, audaciam ſibi Mecænatis benevolentiâ adſtruendo. Plures quiſq; pro ſuo conceptu modos habere poterit. Tropis, figuris, ſed non vehementibus, aut nimis prolixis, ſententijs, eruditionibus, conceptibus, fragmentis Pòëticis, Paradoxis, hyperbolis, allegorijs &c. vaſtum hìc patet ſtadium. Hic & ego deſino, exempla tam Orationis majoris, quàm panegyris in libris ſequentibus daturus. Pro colophone verò appendo calci hujus Libelli:

Si quæ noſtra negat Tethys, tibi, parcior undæ,
Fontibus ex alijs æquora magna bibe.